

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

35,-180.

DA BOX

LN 1044
ex. 1
M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

C

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

No: 148.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

ORATIO
DE VITA ET MOR-
TE SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI, D. FRIDERICI II. INCLYTÆ

memoriæ Regis Daniæ, Norvegiæ, Vandalorum & Gothorum: Ducis Sleſuicenſis, Holſatiæ, Stormariæ, Dithmarſiæ, atq; Comitis Altenburgenſis & Delmenhorſt: habita in funere ipſius, Roſchildiæ in ſummo templo, Nonis Iunij,

Anno

M. D. LXXXVIII.

ab

ANDREA LAVRENTIO

in Acad: Hafnienſi Profeſſore.

Prouerb. XXVII.

Propter delicta terræ ſæpè mutantur principes.

HAFNIÆ,

IMPRESSIT LAVRENTIVS BENEDICTVS.

M. D. LXXXVIII.

Nobilitate generis, eruditione, multisque virtu-
tibus florenti viro, Dn. Erico ... Re-
gio Secretario: ... suo amico mittit Autor

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

Pſalm. 102.
Colliguntur populi in vnum & Reges,
vt ſeruiant Domino.

Eſaiæ. 49.
Et erunt Reges nutritij tui & Reginæ
nutrices tuæ.

Sapient. 1.
Diligite juſticiam, qui judicatis terram,
QVERITE Deum.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

SERENISSIMO PRINCIPI, AC DOMINO, Dn. CHRISTIANO IV. DANIÆ, NORVEGIÆQVE REGI DESIGNATO, DVCI HOLSATIÆ &C. DOMINO SVO CLEMENTISSIMO, SALVTEM ET FELICITATEM.

COGITANTI MIHI ILLVSTRISſime Princeps, Domine clementiſſime, num Orationem, quam in funere Sereniſſimi Principis, & inclytæ memoriæ Regis & Domini *D. FRIDERICI II.* patris T. C. laudatiſſimi, habui, prelo ſubijcerem, nec ne, multa, vt fit, occurrebant quæ animi dubium me redderent. Nam ab eius editione deterrebar cùm orationis tenuitate, qua tanti Regis laudes deteri & obſcurari potius, quàm aperiri & illuſtrari, videri poſſent: tum etiam erudita doctrina & eloquentia eorum, qui me, certis de cauſis cunctanter agentem, in laudando Rege *FRIDERICO* præuerterunt. Contra verò, vt eam publici iuris facerem, mouebant me ingentia illa beneficia, quibus nos omnes, ab optimo Rege munificentiſſimè affecti ſumus. Huc acceſſit magnorum virorum authoritas, qui ſuaſere, vt multorum de me conceptæ expectationi reſponderem, teſtatumq́ facerem, *FRIDERICI* Regis memoriam, debita obſeruantia & gratitudine à me conſeruari. Quibus rationibus inter ſe comparatis, videbam mihi potius de opinione ingenij & doctrinæ, quæ quàm in me mediocria ſunt intelligo optimè, periclitandum, quàm neglecti officij & ingratitudinis notam ſubeundam.

 Permit-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

Permitto itaq; hanc qualemcunq; lucrubatiunculam, in hominum manus venire, qui ſi candorem in iudicando adhibuerint, erit de quo mihi gratuler: ſin verò ſecus euenerit, id quoq; æquo animo ferendum. Scio enim neminem in ſcribendo ita circumſpectè egiſſe, vt omnium cenſuræ ſatisfecerit.

T. verò Celſ. hanc orationem nuncupandam exiſtimabam, vt aliquod meæ erga T. C. obſeruantiæ teſtimonium extaret: quam grati animi & ſubiecti ſtudij ſignificationem, vt ſibi placere velit, qua par eſt ſubmiſſione, peto.

DEVM oro, vt qui Illuſtrem T. C. heroicis animi & corporis dotibus ornauit, is quoq; eandem diu florentem & incolumem conſeruet, faciatq; vt ætate atq; iudicio matureſcente, ad auitorum regnorum gubernaculum admotus, exemplum generoſiſſimi patris, cuius imaginem quandam hoc libello adumbrare volebam, ſecutus, Remp. piè, iuſtè, prudenter & moderatè adminiſtres. Quod votum, vt DEVS propter Filium exaudiat, ipſum precor ex animo, eiusq; prouidentiæ & bonitati Illuſtrem T. C. commendo. Hafniæ Anno 1588.

Illuſtriſſ: T. C.
obſeruantiſſimus

Andreas Laurentius
P. H.

ORATIO

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

ORATIO DE D. FRIDERICO II. R. D. &c.

SI POST HOMINVM MEMOriam Genti Danicæ publici luctus & mœroris iuſta vnquam cauſa fuit; eſt ea vel in primis hodierno die iuſtiſsima. Orbati enim ſumus alieniſsimo Eccleſiæ & Reipub. tempore laudatiſsimæ memoriæ Principe atq; Rege, D. FRIDERICO II. ſub cuius moderato & iuſto Imperio beatè viximus, & Eccleſiæ Chriſti læta quædam halcyonia, iam annis multis, in his Arctois Regnis erant. Qua felicitate quàm diu nobis frui liceat, incertum. Nam quanta periculorum procella nobis imminet, ex magnis illis ſucceſsibus perduellium Chriſti, & vicinorum regnorum miſerijs, quæ longè maximæ ſunt, facilè ab attentis poterit animaduerti. Quæ pericula omnia D. FRIDERICVS, ſi Deo ita viſum fuiſſet, à noſtris capitibus, quæ ipſius erat virtus heroica & amor Reipub. facilè auertere potuiſſet. Meritò itaq; dolemus, lugemus, lamentamur, tanto Rege, qui verè fuit nutritor Eccleſiæ, pater patriæ, aſylum & arx oppreſſorum, columen horum regnorum & ditionum ampliſsimarum, orbati atq; deſtituti.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

Syrach. 22.
1. Theſ: 4.

Hæc etſi hunc in modum ſe habent; nequaꝗ̃ tamen dolori indulgendum, & luctu hoc acerbo contabeſcendum. Vt enim Deus vult, funera cùm aliorum, tùm etiam pij & ſalutaris Magiſtratus, qui in terris Dei vicem geßit, defleri: ita moderationem quandam affectuum & doloris à nobis requirit: ne ipſius voluntati, quæ non poteſt non optima eſſe, ſtultè reluctari, & quaſi fronte aduerſa repugnare velle videamur. Quin potius agnoſcentes Dei iudicium, veram erga Regem optimum beneuolentiam & gratitudinem declaremus. Quod fiet, ſi ipſius heroicas virtutes & beneficia illa ingentia, quæ Deus nobis per illum præſtitit, veris laudibus extulerimus, Deoq́; Optimo Max: mœſtißimæ Regiæ familiæ, horum Regnorum & omnium noſtrûm ſalutem ſerio commendauerimus. Id enim memoriæ & meritis laudatißimi Regis debemus omnes.

Quod cúm ego & priuatim meo & publicè omnium nomine facere ſim iuſſus: breui commemoratione capita quædam Hiſtoriæ vitæ & obitus ipſius, vt potero, complectar, in qua primùm de ijs, quæ mortem felicißimæ recordationis D. CHRISTIANI III. Regum omnium ſui ſeculi laudatißimi, præceſſerunt, dicam: deinde, quæ ille poſt obitum patris ſui præſtantißimi, domi & foris, priuatim & publicè laudabilitèr geßit, vſq; ad illum di-

em,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

em, quo in his terris eſſe deſiit, ſumma rerum ſecutus faſtigia, perſtringam & delibabo. Nam integram hiſtoriam pertexere non eſt huius loci, neq́ inſtituti mei, ac ne quidem virium mearum, quæ quàm ad hoc poſtremum pietatis officium tanto Regi præſtandum imbecilles ſint, minimè ignoro. Deum itaq́ precor, vt ille huic Orationi meæ ſic moderetur, vt quæ ipſi grata eſſe queant, faciantq́ ad veris laudibus optimum Regem exornandum, à me proferantur: à vobis verò Illuſtriſsimi Principes, illuſtres & generoſi legati, Ampliſsimi Regni & Ducatuum Senatores, tota corona nobiliſsimorum, doctiſsimorumq́ Virorum, & quotquot hodierno die ad Regi FRIDERICO *iuſta facienda conueniſtis: qua poſſum ac debeo, ſubmiſsione animi peto: vt me loci huius inſolentia & cogitatione de virium mearum imbecillitate, pauitantem, vt cernitis, veſtræ beneuolentiæ atq́ æquitatis aura recreare dignemini. Enitar quantum potero, vt præcipuarum laudum mentione ſaltem facta, nullam falſam ipſi affinxiſſe videar.*

Ortus D. FRIDERICI.

Natus eſt D. FRIDERICVS *in Arce oppidi Cimbricæ Cherſoneſi Haterſleuij, Anno Chriſti* 1534. *Kalendis Iulij. Quo tempore perturbatiſſimus fuit Danicæ Reipub. ſtatus. Pater ipſi fuit Illuſtriſsimus Princeps D.* CRISTIANVS *Holſa-*

Parentes.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

tiæ Dux, qui Rex factus, deinceps CHRISTIANVS III. eſt appellatus. Matrem habuit D. DOROTHEAM, Illuſtriſsimi Principis Magni Saxoniæ inferioris, Angriæ & Veſtphaliæ Ducis filiam. Vtriuſq; parentis CHRISTIANI & DOROTHEÆ proſapia nobiliſsima & generoſiſsima.

Paternum genus.

Altenburgenſium enim Comitum Illuſtris familia originem ſuam, vt accepimus, ducit à Vitikindo illo Magno, Saxonum Rege, atq; Angriuariorum Duce potentiſsimo, qui ante annos octingentos & amplius, cum Carolo Magno, Francorum Rege, eiusq; nominis primo Imperatore Germano, bellum diuturnum ac in primis difficile geſsit. Ab hoc Vitikindo, vt & aliarum illuſtriſsimarum in orbe Chriſtiano familiarum: ita quoq; Comitum Altenburgenſium, ſtirps, longa ſerie propagata eſt, vſq; ad Chriſtianum, Theodorici, qui Fortis fuit appellatus, & Hedwigis filiæ Gerardi Holſatiæ Comitis, quæ antea Baltazaro Megapolitano Duci nupſerat, filium, qui primus in hanc gentem & familiam, Regium, axioma intulit: à quo D. FRIDERICVS II. ſextus Rex deſcendit.

Vitikindus Baptizatus Barouici Anno Chriſti, 785.

Affinitas VI. Reg: cum aliis Principibus.

Splendorem huius familiæ regiæ auget etiam affinitatis cum nobiliſsimis & præſtantiſsimis orbis Chriſtiani principibus coniunctio. Chriſtiano enim I. Dorothea Iohannis Ducis Voitlandiæ principis

optimi

optimi filia, & Chriſtophori III. Regis Daniæ Vidua nupſit: Iohanni eorum filio Chriſtina Erneſti ſeptemuiri Imperij R. & Ducis Saxoniæ filia vxor fuit: Chriſtianus II. cum Iſabella, quam nos Elizabetham vocamus, Philippi Hiſpaniarum R. filia Impp: Romanorum Caroli V. & Ferdinandi ſorore matrimonium inijt: Friderici I. prior vxor fuit Anna Iohannis Magni Electoris Brandeburgici filia: Poſterior verò Sophia Bugiſlai Pomeraniæ Ducis filia. Quæ familiæ etiam hoc tempore in tota Europa ſunt nobiliſſimæ.

Ducum etiam Saxoniæ inferioris illuſtris & perantiqua familia eſt. Nam Septemuiratus dignitas, qui in Imperio Romano, Regiæ penè eſt par, vel paulò inferior, in ea plus minus 200. annis permanſit. Tot enim anni ferè interiecti fuêre inter Bernhardum primum, & Albertum tertium, qui poſtremus in illa familia Septemuiratum geſſit. D. D. Lauburg: nobilitas & generoſitas.

Ab his tam Illuſtribus & inclytis maioribus & parentibus ſatum D. FRIDERICVM II. magnum decus eſt: Sed longè maius cenſendum, quod maiores ſuos Virtutibus, quod rarum eſt, æquarit, vel etiam ſuperarit, quod rariſſimum: tantum abfuit, vt ab ipſis, quod dedecus & labes familiæ eſt, degenerarit.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

Inſtitutio in literis.

Puer tingendus, imbuendusq́; doctrina pietatis, literis & bonis moribus præceptori traditus fuit. Intellexit enim CHRISTIANVS Rex III. in illis, quæ dixi, cum ad vitæ priuatæ, tum etiam Regiæ curſum rectè tenendum, momenti plurimum ineſſe. Meminerat etiam, quidnam Chriſtiano Primo, auo ſuo, Romæ, quò Religionis ergô, vt mos erat illorum temporum, abierat, cùm absq́; interprete cum Sixto Pontifice R. colloqui non poſſet, acciderit.

Anno Chriſti, 1474.

Socij Studiorum.

Studiorum ſocij, vt in Principum inſtitutione mos obtinet, fuere FRIDERICVS patruus ipſius, Holſatiæ Dux, alijq́; honeſto & nobili loco nati. Quos poſteà, in omni vita, FRIDERICVS Rex in intimis habuit: honoribusq́; & præmijs ipſorum virtutibus dignis, affecit. Ingenij mira celeritate, atq́; memoriæ vi penè diuina, cuiuſmodi heroicis naturis ineſſe ſolet, præditus fuit. Ideoq́; cum adoleuiſſet, ingentem ex eo, quòd maiores progreſſus puer in literis diſcendis non feciſſet, dolorem cœpit; de quo ipſius querelæ, non ſine animi quadam commotione à multis non raro, ſunt auditæ.

Deſignatur Rex A. Chriſti, 1542.

Cum annum ætatis octauum ingreſſus eſſet, placuit ſapientiſsimis Regni magnatibus, penes quos à priſcis ſeculis, Regni D. Maieſtas, & Diadema eſt, Regem ipſum deſignari; qui aliquando CHRISTIANO patri, in Reipub. gubernatione,

ſucce-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

ſuccederet. Quod quidem vt facerent, moti fuêre, Chriſtiani patris in Rempub. meritis longè maximis: generoſa indole atq; naturæ bonitate FRIDERICI filij, & triſtiſſimis illis motibus, quibus, poſt mortem Friderici primi, nullo Rege deſignato, res Danicæ, niſi DEVS, more ſuo, nobis affuiſſet, peſſum iuiſſent.

His alijsq; grauiſſimis cauſis moti Regni proceres ampliſſimi, FRIDERICVM Regem deſignant. Qui fidelitatis debitæq; ſubiectionis ſacramento, ab incolis horum regnorum accepto, ad inchoata literarum ſtudia continuanda reuertit, ex quibus magni fructus ſunt percepti. Nam illa doctrinæ cœleſtis initia, quæ puer didicit, poſtea magnis incrementis aucta, tenacitèr animo ipſius, vſq; ad vitæ metam inhæſere. Adeo multum eſt, optimis rebus à primis annis aſſuefieri, & quaſi innutriri: huc acceſſit morigerationis erga parentes optimos obſeruantia, quos ille, vt decebat, coluit: cupiditatum moderatio. quæ quàm difficilis ſit, in ijs præſertim, quibus potentia & aulæ ſplendor oculos perſtrinxerit, ſcimus: præparatio deniq; ad rectam & felicem Reipub. gubernationem quæ præcipuè ſita eſt in veri Dei puro cultu: erga parentes & eos qui parentum loco liberis à Deo præficiuntur, reuerentia. Nemo enim rectè vnquã imperarit, niſi qui aliquando parere didicerit.

Fructus ex prima inſtitutione percepti.

 Cum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

Anno Chriſti 1554.
Primæ adoleſcentiæ ſtudia.

Cum verò ad annos pubertatis perueniſſet, Magiſtro & præceptore, cui in diſcendis literis operam annis aliquot dediſſet, honorificè dimiſſo: Aulæ ſedem in Scania, regione ſoli vbertate, atq; amœnitate paucis comparanda, habuit; vbi ad belli & pacis artes, ad ſtudia certaminum equeſtrium, aliaq; militaria exercitia, in quibus excelluit, aſſuefaciendus eſſet. Quo quidem tempore pater ipſi adiunxit viros aliquot nobilitate generis, Sapientia, Fortitudine, iuſtitia & id genus virtutibus præſtantes, quorum in numero fuere D. Hilarius Hardenberg. D. Hilarius Rönnow, Ericus Roſenkrantz & alij: vt eorum conſilijs in tractatione publicarum negociorum vteretur. In quibus Chriſtiano Patri & Regni Proceribus fidem ſuam, iuſticiam, prudentiam, moderationem, aliaſq; virtutes, quibus hominum fauor, & beneuolentia gubernatoribus conciliatur, ita probauit, vt omnes magnam ſpem conceperint, fore illum aliquandò, optimi & moderatiſſimi patris ſimilimum Regem. Quod profectò ab ipſis haud temerè factum. Vt enim ex floribus, cuiuſmodi fructus arbores ſint producturæ, coniecturam facere licebit: ita plerumq; ex floreſcentis ætatis moribus atq; vita quidnam de matureſcente ſperandum ſit, non difficile fuerit animaduertere.

Opinio ſapientum hominum de futura Gubernatione F. R.

Pere.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

Peregrinationibus, ſapientiam, prudentiam & morum ſuauitatem, ſi rectè inſtituantur, acquiri, norat optimus CHRISTIANVS III. ſuomet ipſius experimento id edoctus. Ioachimum enim I. Electorem Brandeburgicum, anunculum ſuum ſecutus, Vormaciam acceſsit: Vbi Carolus Quintus Imp. Anno ipſius inaugurationem proximè ſequente prima Imperij comitia habuit. In quibus electum illud Organon DEI, D. Martinus Lutherus, ad tribunal Cæſaris, coram toto Imperio omnium eorum, quæ annos octo, magno cum ſucceſsu doctrinæ Euangelij, & ruina Pontificij regni, ſcripſerat & docuerat, rationem reddidit: atq; præter multorum expectationem, in vera ſententia conſtans permanſit: nullius hominis, ac ne quidem Diaboli minas aut potentiam formidans. Qua ipſius inuicti animi magnitudine mirificè confirmatur Chriſtianus Princeps, quemadmodum poſtea declarauit.

Anno 1521.

D. Martinus Lutherus, ſiſtit ſe coram toto Imperio.

Miſit itaq; Rex CHRISTIANVS Principem filium ad Auguſtum, Imperij R. Septemuirum, & Saxoniæ Ducem generum ſuum: addito ipſi regio & ſplendido comitatu, qui cum Francofurtum profectus, tanq̃ in humanæ vitæ theatrum quoddam prodiens, vidit ritus & ceremonias quibus Ferdinandus Imperio R. inauguratus fuit: vidit orbis Chriſtiani præcipuos principes & gubernatores,

D. Fridericus venit Francofurtum. Anno 1558.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

quorum pleriq́ ipſi vel conſanguinitate, vel affinitate iuncti fuêre.

Ferdinandi Imp. humanitas.

Ferdinandi Imperatoris ea fuit humanitas, vt FRIDERICVM Principem cognatum & propinquum ſuum amantiſsimè complexus, monuerit: Vt laudatiſsimi patris veſtigijs inſiſtens, ampliſsima Regna, ſibi iam tum deſponſa, quemadmodum Principem tam Illuſtribus maioribus & parentibus ſatum deceret, aliquandò moderaretur. Iuſſeritq́ ſuis verbis ſalutari CHRISTIANVM patrem, cui multis Principibus, alijsq́ ſplendidiſsimo & nobiliſsimo loco natis audientibus, hanc laudem tribuit. Neminem Principum omnium, qui ex hoſtibus & inimicis, ſocij & amici facti fuiſsent: Carolo V. fratri & ſibi tam liberalitèr & Regiè fidem datam ſeruaſſe, atq́ Chriſtianus Rex feciſſet. Quod FRIDERICVS Princeps, Imperatori pro hac paterna monitione, atq́ tam honorifico de patre teſtimonio, actis gratijs, ſe fretum DEI ope atq́ auxilio facturum, recepit.

Carolo V. Imp. Spiræ fuit reconciliatus, Chriſtianus III. Anno Chriſti, 1544.

Francofurto diſcedens, redit in Saxoniam cum Auguſto Electore Sororio ſuo, à quo Vitebergæ, vt & in alijs ditionum ipſius locis omnibus, humaniſsimè exceptus, in conuiuio, ad quod aliquot ex Profeſſoribus Inclytæ illius Academiæ inuitati fuêre, & in ijs, D. Philippus Melanthon, vir excellentis in-

Cum D. Philippo Melan-

tis in-

tis ingenij: pietate eximia atq; doctrina præditus, & bonis omnibus, ob vitæ innocentiam & ſingularem pietatem charus: Quem honorificè habuit D. FRIDERICVS *& poſtea omni vita multis beneficijs affecit. Nam ipſi, vt & alijs illius Academiæ atq; aliarum profeſſoribus, quorum in numero eſt etiam Iohannes ille Sturmius, de re literaria præclarè meritus, quotannis honorarium miſit. Singulari enim beneuolentia doctos omnes cuiuſuis gentis & nationis (de pijs loquor) eſt complexus. Quod omnes illi, vt de alijs nihil dicam, qui eruditæ doctrinæ & ingenij ſui monumenta aliqua ipſi inſcripſere, quos omnes munificè remuneratus eſt, teſtabuntur.*

thone, colloquitur.

Munificentia in doctos.

In Daniam tandem reuerſus, CHRISTIANO *Patri tum temporis ægrotanti, quæ viderat & audierat in conuentu illo Francofurtenſi & aulis Principum, Henrici Ducis Brunſuicenſis: Philippi Haſsiæ Lantgrauij, & aliorum ad quos in reditu diuerterat, diſertè & magna cum ſuauitate ſermonis, qua, vt alijs quoq; DEI eximijs donis excelluit, commemorat. Quibus, optimus pater, veluti reuiuiſcens omnibus, ac in primis narratione illa de Ferdinando Imperatore, mirificè delectabatur.*

Redit in Daniam F.

Eloquentia F. R. II.

Digreſſus à patre, iam tum iter in Cimbricam Cherſonneſum, quod ipſi poſtremum erat, ador-

nan-

nante, in Scaniam reuertit. Nam CHRISTIANVS Rex, vi grauiſsimi & diuturni morbi ſuperatus, Kalendis Ianuarij ineuntis Anni 1559. in ardenti inuocatione filij DEI, quem vnicum Redemptorem & Seruatorem ſuum conſtanter per omnem vitam agnorat, ad cœleſtis Eccleſiæ cætum & ſocietatem fuit euocatus, relicto bonis omnibus ſui incredibili deſiderio.

Mors Chriſtiani III.

Auidè quidem cupierat laudatiſsimus Rex Principem filium priuſquam ſibi ex huius vitæ ſtatione decedendum foret, videre, atq; cum ipſo de rebus ad ipſius & horum Regnorum ſalutem pertinentibus, colloqui: cuius tamen voti compos fieri non potuit. Nam inualeſcente vi morbi, priuſquam adueniret filius, expirarat Rex pater, Principum huius ætatis noſtræ omnium laudatiſsimus; cuius memoria ſit in æterna benedictione.

Fridericus abfuit, cum pater moreretur.

Magnopere quidem optandum fuiſſet, ſanctiſsimi patris Cygnæam vocem à filio generoſo auditam. Scimus enim, quàm altè in bonorum liberorum animos ea deſcendere ſoleant, quæ à præſtantibus virtute parentibus ad vitæ exitum vocatis, fiunt vel dicuntur. Aduenit tamen FRIDERICVS Princeps, mox à Chariſsimi patris obitu, ſerius quam volebat, aduerſis ventis detentus. Quem ille cum vidua matre mœſtiſsima, Illuſtriſsimis &

Vis orationis parentum ad Liberos ſub vitæ exitum.

Cha-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

Chariſsimis fratribus, Magno & Iohanne, ſorore Dorothea totaq́ Regia familia piè defleuit.

Ambroſius ſcribit Theodoſium, cum corpore ſolueretur, magis de ſtatu Eccleſiarum quàm de ſuis periculis anxium fuiſſe, Quod ipſum de CHRISTIANO III. verè dici poteſt: Nam moriturus de re nulla magis ſolicitus fuit, quàm vt puræ doctrinæ Euangelij poſſeßio, & pax in his Regnis conſeruaretur. Quam ſuam voluntatem per Illuſtrißimam Reginam, & Magnificum Cancellarium, Iohannem Frijs, virum nobilitate generis, ſapientia, virtute & longo rerum vſu præſtantem filio indicari voluit, quos etiam oratione ardentißimorum affectuum plena, vt in id, omnes induſtriæ neruos contenderent, eſt obteſtatus. Atq́ huc vſq́ de FRIDERICI Regis ortu, genere Regio, pueritiæ & primæ adoleſcentiæ ſtudijs, quæ omnia vitæ priuatæ propemodum cenſeri poſſunt: Nunc verò alia de quibus me dicturum promiſi, quàm poſſum breuißimè perſequar.

In oratione Funebri, de obitu Theodoſij.

Pia ſollicitudo Chriſtiani III.

Non ita multò pòſt ortum fuit bellum Dithmarſicum, quod etſi initiò ſolus gerere in animo habuerat Illuſtrißimus Princeps Adolphus, Holſatiæ Dux; tamen aliter ſuadentibus viris, nobilitate generis, prudentia & multis virtutibus præſtantibus D. Iohanne Rantzouio, Regis in iſtis locis Le-

Belli Dithmarſici initium.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

gato, & filio ipſius Henrico Rantzouio, idem munus hoc tempore gerente, atq; literatorum omnium Mœcenate, ita conuenit inter Principem FRIDERICVM *& patruos ipſius Iohannem & Adolphum, vt bello illo communibus periculis & ſumtibus geſto, ſi* DEVS *victoriam de populo illo dediſſet, Dithmarſia, quam Chriſtiano I. Fridericus III. Imperator donauit, inter ipſos ex æquo diuideretur.*

Anno 1474. quā donationem confirmauit Carolus V. Anno 1548.

Quo decreto facto, exercituq; ex Danis, Holſatis & Germanis, apparatuq; cœtero comparato: mox bellum, vt fit, Dithmarſis indicitur, qui cum alienius ad literas illas, quas fœciales attulerant, reſpondiſſent, è veſtigio conſpiciunt in agris ſuis Principes cum lectiſsimo exercitu, obuia ferro & flamma, vaſtante atq; proſternente omnia. Nec Dithmarſi, quod ſibi in tanto diſcrimine faciendum foret, neglexère. Elati enim ſuperioribus victorijs, quas de Danis & Holſatis aliquoties adepti fuerant, libertatem illam (ſi tamen libertas dicenda eſt) cui annos 400. & amplius aſſueuerant, fortitèr propugnant & defendunt. Verum tandem aliquot aduerſis prælijs fracti, quibus magnum numerum ſuorum amiſerant, nec in foſsis & æſtuarijs illis ſuis, quibus multum fidebant, ſpei quidq; ſibi reliquum cernentes, Principi & Ducibus ſeſe dedunt.

Dithmarſis bellum indicitur.

Anno 1322. & 1404.

Dithmarſi dedūt ſe Principi & Ducibus.

Admi-

Admiratione dignum eſt: fortes & animoſos illos Dithmarſos, qui toties aduerſum exercitus longè maiores, nec minus inſtructos, ſe defenderant, hoſte internecione deleto, vt in prælio illo quo Rege Iohanne, atq; fratre Friderico primo, vix fuga elapſis, flos Danicæ & Holſaticæ nobilitatis, cum alijs multis fortiſsimis viris, fœda & miſeranda cæde óccidit: tam leui momento victos. Quòd Cæſar dixit: Veni, Vidi, Vici: Id de noſtris quoq; quodammodo vſurpari poterit. Nam vix, exeunte menſe, Dithmarſia in formam prouinciæ redacta, bellum illud, quod multis ingentem terrorem incuſſerat, finem habuit.

Dani & Holſati cæſi a Dithmarſis Anno Chriſti, 1500.17. Februarij.

Ita nulla eſt quantumuis florens hominum potentia & virtus, quæ DEO irato poſsit reſiſtere. Recte itaq; ſuadet ſapiens ille Poëta: Bellum & pugnam, abſq; DEO, mittenda.

Pindarus.

In prælijs illis, quibus omnibus interfuit, & magnam partem præfuit Princeps FRIDERICVS, heroici & celſi animi certas ſignificationes dedit. Nam cadentibus vel læthaliter vulneratis multis fortiſsimis Viris, qui proximè ipſum animoſè dimicarunt, nemo ipſum, vel periculi magnitudine perturbatum, vel pro Regni & Reipub. commodo labores atq; dimicationes defugere vidit vnq̃. Huiuſmodi motus nec natura ineſſe poſſunt homini-

Animi celſitudo Friderici Regis.

Heroici motus non expectant annos.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

bus nec doctrina comparantur; ſed diuinitus exiſtunt in præſtantibus naturis. de quibus eſt illud Latini Poëtæ.

Ingenium cœleſte ſuis velocius annis
Surgit & ingratæ fert malè damna moræ.

Clementia & Moderatio in ſecundis rebus.

Clementiæ & moderationis in victoria, quæ natura inſolens eſt, laudationem hîc præterire non debeo. Cum grauis eſſet diſceptatio, num 400. Dithmarſi & plures, qui extrema neceſſitate coacti, abiectis armis, ſupplices petierunt à victoribus, vt vitæ & corporibus ſuis parceretur, trucidandi eſſent, nec ne: ac pleriſq; illa inhumanior ſententia placeret nimis. Ibi Princeps heroicus iuſſit tertiam partem iſtorum ſupplicum ſibi attribui: de his, inquiens, quod æquum bonumq; videbitur, ſtatuero. Hac oratione Regis moti alij, mox ipſorum vitæ parcendum cenſent, & quidem rectè. Iniuſticiæ enim fuiſſet, ius ſupplicum violaſſe, de quo extat Oraculum à multis ſapientibus commendatum:

Ius ſupplicum non uiolandum.

Non violandus erit ſupplex: ſacer eſſe putator.

Belli ius de quo *Deute: 20. Cap.*

Etenim nec in bellis quidem ceſſat lex DEI, Ideoq; victori in victos tantum licet, quantum lex DEI, & ius naturæ concedunt. Memoria itaq; omnium ſeculorum, & ſempiterna prædicatione digna eſt

gna eſt hæc FRIDERICI *R. heroica fortitudo, & in victoria moderatio.*

Conſtitutis iam in Dithmarſia rebus, Hafniam redit Princeps victor, vbi poſt ſupplicationes publicè indictas in Comitijs frequentibus, Ampliſſimorum procerum & reliquorum ordinum conſenſione ſumma congratulationeq́ Regnorum Daniæ & Noruegiæ, quorum Rex anteà deſignatus fuerat, plenam poteſtatem adipiſcitur. Quod anteà fieri noluit Rex magnanimus, quàm ſpecimen aliquod virtutis & felicitatis ſuæ in rebus gerendis edidiſſet.

Coronatio Friderici Anno 1559. *Auguſti: 20.*

Pòſt horum Regnorum Diademate à Regni magnatibus accepto, omnem curam & cogitationem eò vertit potiſsimum, vt pura Religio in hiſce Regnis ſarcta tecta conſeruaretur. Quod & laudatiſsimo patri promiſerat, & ad idem faciendum Regni ordinibus, in hoc inaugurationis actu, ſeſe religiosè obſtrinxerat. Quod etiam conſtanter & religiosè præſtitit. Vt enim verè pius erat, ita non potuit ea quæ ad cultum DEI conſeruandum pertinerent negligere. Veræ autem non adumbratæ pietatis hæc argumenta ſunt: Sacræ ſcripturæ lectio, eiuſdemq́ priuata & publica auſcultatio & ſeria meditatio, ardens DEI inuocatio creber Cœnæ Dominicæ vſus, vitàq́ piè acta. De ijs quæ vel ipſe legerat (Nam Biblia legiſſe illum aliquo-

Cura pro Religione cōſeruenda, ſuſcepta.

Pietatis Regiæ argumēta.

ties ſcimus) vel in concionibus audierat, ſolitus fuit cum ſuis colloqui. Audierat aliquando pium & doctum virum publicè concionantem de magnitudine atq; fœditate peccatorum noſtrorum, cui oppoſuit immenſam & infinitam DEI miſericordiam, his verbis: Sunt quidem, inquiens, peccata noſtra admodum tetra & abominanda, quibus etſi nos æternas pœnas commereamur: tamen illa minimè imputantur credentibus in filium DEI Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM, *nec veniunt in rationes: Nam Chriſti ſanguine ſunt illa inducta omnia, & ex libro DEI expuncta. Qua oratione ſe mirificè delectatum ſæpius dixit. Legit, ſicuti dixi, cum alios Sacræ ſcripturæ libros, tum in primis Dauidis Pſalmos, quos poſtea ſibi & ſuis cum illorum pia & ſuccincta Enarratione curauit imprimi: addita præfatione à ſe ſcripta, qua lectionem & meditationem illorum dulciſsimis liberis piè commendat, eosq́; vt pius Eccleſiaſtes, ad timorem DEI & omnium Virtutum officia, religioſè hortatur. Sciuit enim pius Rex, parentibus voce DEI expreſſa mandatum, vt illi verba legis ipſius filijs ſuis acutè ingerant, loquanturq́; de ijs cum ſedent domi, cum ambulant per viam aliquam, cum cubant, cum ſurgunt. Atq; hæc de pietate Regis* FRIDERICI.

Epiſcopi Arhuſienſis concio.

Parentum officium in liberorum inſtitutione.

Deutero: 6.

Dixit

Dixit quidam magni nominis Philoſophus: Pacis in Repub. nomen eſſe inane, quod ita eſſe nos quoq; ſumus experti. Nam annis nondum quatuor à bello Dithmarſico, exactis, aliud multo funeſtius & calamitoſius inter nos, & Suecos vicinos, nobis eâdem Religione, propinquitate, affinitate, alijſq; arctæ neceſſitudinis vinculis coniunctos, exarſit. Cuius veræ cauſæ (Nam occaſio vt plerumq; in fatalibus malis fieri ſolet, leuior videri poſſet) fuêre vtriusq; gentis peccata, quæ DEVS iratus, bellis, fame, peſte, atq; alijs malis punit & vlciciſcitur grauiſſimè. Etſi autem inuitus facio, vt cicatrices iam obductas refricem, vulneraq; vel noſtra vel aliorum detegam: tamen ſilendum non eſt, certiſſima bonitatis DEI in nos toto belli tempore, quod magna triſtium euentorum varietate, terra mariq; geſtum fuit, teſtimonia extitiſſe.

Plato.

Belli Suetici initium. Anno 1563.

Nam annis illis ſeptem & amplius, quibus durauit bellum, tantus frugum prouentus apud nos fuit, vt tot exercitibus alendis commeatus abundè ſuffecerit: &, quod fidem propemodum excedere videri poſſit, laxior etiam annona fuerit, durante bello, quàm annis aliquot dimiſſo exercitu, illud ſecutis: Seditio, in qua omnis mali ſpecies, quæq; tantum à bello, quantum bellum à pace differt, à caſtris plerumq;, à reliquo vero Reip. corpore ſemper

Beneficia in nos a Deo belli tempore collata.

Thucidides.

Herodotus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

per abſuerit, quod quantum bonum ſit, experiuntur hoc tempore Regna illa, quæ ciuilibus bellis miſerè concutiuntur: Cultus DEI, qui tamen in bellis extremè periclitatur, conſeruatus. Bellum enim infinitam malorum Iliadem, & in ijs profanitatem & Epicureiſmum quendam mortalibus afferre ſolet, ex quo illud hyperbolicè quidem dictum, ſed tamen non prorſus à vero alienum, Nulla fides pietasq́; viris qui caſtra ſequuntur, proma nauit. Regis deniq́; inter maxima pericula, vt in arcis Elsburgenſis expugnatione, peſte graſſante in exercitu, & alijs, diuina protectio & conſeruatio, de qua eſt illud Dauidis: Si cadant à latere tuo mille, & decem millia ad dextram tuam, malum tamen ad te non accedet.

Ciuilia bella.

Eurip: Religioni locus non eſt vbi armorũ ſtrepitus terret homines.

Pſalm: 91.

Celſitudo Regij animi conſpecta eſt ſæpè, & in primis, accepta illa ingente clade, qua claſſis omni apparatu & fortiſsimis viris inſtructa, ſaxis illiſa Gothici maris, non quidem hoſtium virtute aut potentia, ſed vnius infauſtæ noctis ſæuiſsima tempeſtate perijt. Quæ triſtiſsima iactura non potuit non optimo Regi ingentem dolorem afferre cui tamen ita moderatus eſt, vt præter omnium hominum expectationem, recuperata noua claſſe, bellum, donec DEVS honeſtam pacem nobis redderet, continuandum cenſuerit; quo probatum: In rebus aduerſis

Amiſſa Regia claſſis 5. Kalend: Sextil: A. 1566.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

uerſis virtutis decus maximè lucere, & aduerſa viros, vt ille dixit, explorare.

Hæc conſtantia & animi Regij infractum robur, Magnatibus Regni & belli Ducibus adeò placuit, vt bene de felici liberatione ex tantis malis, quibus hæc Regna grauiſsimè affligebantur, ſperârint. De quo priusq̃ plura: dicendum erit de FRIDERICI *Regis munificentia, quæ ipſi ad omnem poſteritatis memoriam, longè maximam afferet laudem atq; prædicationem ſempiternam.*

Belli enim calamitoſiſsimi tempore, longè maximo beneficio & penè diuino, Academiam Regiam, vnum ex præcipuis Regni ornamentis affecit. Quo quidem ornamento caruit Daniæ Regnum vſq; Chriſtianum primum. Etſi enim Ericus Rex Daniæ, quem Pomeranum appellamus, à Martino V. Pontifice R. ius inſtituendi Academiam in Regno ſuo, Anno Domini, 1425. impetrârat: tamen eo vſus non fuit, vel ob difficilia bella, quæ geßit cum vicinis: vel quod diploma Pontificium, quo concedebatur poteſtas tradendi juuentuti omnes artes liberales, linguas & facultates, vt loquimur, reliquas, excepta Theologia, qua Sanctus ille pater noſtræ gentis homines indignos exiſtimauit, Regni Senatoribus & Epiſcopis, quorum eo tempore magna fuit authoritas, diſplicuerit. CHRISTIA-

Heroica munificentia in Acad. Regiam.

Diploma Martini V. de Academia in Dania inſtituenda.

D NVS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

Inſtituta Academia Hafnienſis A. 1478.

NVS itaq;, impetrato à Sixto P. R. nouo priuilegio, conditor & pater Academiæ Regiæ eſt, quam penè collapſam inſtaurauit CHRISTIANVS III. FRIDERICVS verò II. Regia munificentia plurimum adauxit, idq; hac occaſione & difficilimo Reipub. tempore.

Aucta Profeſſorum ſtipendia.

Cum intellexiſſet, ob temporum, quibus rerum omnium precia quotannis creſcunt, difficultatem, ſtipendia illa ordinaria, à ſuperioribus Regibus conſtituta, non ſufficere tot profeſſorum familijs liberalitèr alendis, eiuſmodi acceſſione locupletauit Academiam, vt quæ hactenus poſſederat bona, æquet, vel etiam, ſi exactè ad calculum ea vocentur, ſuperet aliquot partibus. Quam ipſius munificentiam nos, noſtriq; ſucceſſores, grata mente agnoſcemus & prædicabimus.

Alumni Academiæ 100.

Alumnorum Academiæ numerum etiam auxit. Nam præter ſuperiora, tot bona largitus eſt Scholæ, vt centum bonæ ſpei adoleſcentes ex ijs mundum & liberalem victum habeant, ac in communitate certis exercitijs, ad munus Scholaſticum vel Eccleſiaſticum ſuo tempore obeundum præparentur.

Stipendium pro 4. liberalium artium Magiſtris.

His bonis de quibus dixi, addidit certam pecuniæ ſummam, qua liberalium artium Magiſtri quatuor, in Germanicis, Gallicis vel Italicis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

licis Academijs viuerent, & audirent doctiſſimorum Virorum de rebus grauiſſimis iudicia, linguasq́ peregrinas, quarum apud nos permagnus vſus eſt, addiſcerent, qui poſtea certo ſtudiorum curriculo confecto, domum reuerſi Reipub. operam ſuam adhicerent.

Ex hac munificentia verè Regia, fructus longè maximus percipitur, & in poſterum quoq́, quàm diu Reipub. ſtatus incolumis permanſerit percipietur. Viuunt enim hoc ipſo tempore in Regia Academia (vt de Paſtoribus & Miniſtris verbi nihil dicam) aliquot præſtantes viri, qui freti hoc Regio beneficio, vtiliſſimam operam nauant Reipub. Atq́ hæc omnia, vno eodemq́ tempore, bello nimirum etiam tum ſæuiente, vt dixi, à Rege optimo Profeſſoribus Academiæ eiuſq́ alumnis, quorum præter ordinarios, magnus eſt numerus, ſunt donata. Sed redeo illuc vnde diuerti. Anno Chriſti 1569.

DEVS tandem immenſa & paterna bonitate motus, vtriuſq́ gentis, quæ ipſius Eccleſia eſt, miſertus, excitauit (quod antea quoq́ aliquoties ſed fruſtrà tentatum fuerat) potentiſſimos Monarchas & Principes, Maximilianum II. Imperatorem R. Carolum IX. Galliarum, Sigiſmundum Poloniæ Reges Auguſtum Electorem & alios, quorum interuentu

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

& authoritate bellum illud infelix in octauum annum ductum & productum, maximo horum Regnorum & Vicinorum damno & incommodo, pace Stetini Pomeranorum conſtituta & ſancita, finem habuit. Quo ingenti beneficio DEI vt grati rectè vtamur, faciet ille, cui vni omnia bona accepta ferenda, detq́; vt quemadmodum illis, qui præter expectationem à graui morbo liberati ſunt, valetudo iam recuperata charior eſſe ſoleat, quàm ſi nunq̃ ægrotaſſent; accuratamq́; eius retinendæ rationem habent: ſic pax poſt bellum illud diuturnum nobis reddita, ſit ita chara, vt vitemus omnia, quibus ira DEI in nos rurſus inflammetur.

Pax Stetini ſancita. A. 1570. in Decembri.

Finito bello eo, quo dixi modo, exercitu, qui nos compilârat miſerè, dimiſſo, horumq́; Regnorum incolis nonnihil à belli iſtius malis reſpirantibus: coeptum eſt ſeriò de R. Sereniſsimi coniugio deliberari. Quod & Regis ætas & Reipub. vtilitas flagitare videretur. Si enim vel priuato homini ſuaue eſt ex coniuge filium infantem ſuſcipere, imaginem corporis animiq́; ſui, vt in eo creſcente velut alter ipſe naſcatur: & ex hac vita ita diſcedere, vt proprium & quidem ex ſeipſo editum natum relinquat, qui in facultates & ſtirpem ipſius ſuccedat, & in quo mortuus viuat ipſe: Quanto magis id optandum ijs, qui à DEO in magnorum Regnorum faſtigio collo-

Conſultatio de Regis coniugio.

Augusti Cæſaris oratio apud Dionem ex A. Mylij interpretatione.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

cati ſunt, & ad quos non ſolùm præſentium rerum cura & adminiſtratio ſpectat: ſed quibus etiam poſteritatis ratio eſt habenda, vt decedentes relinquant veri DEI cultores, eosq́; qui Regnis auitis cum laude præfici queant? Quæ felicitas vt ſibi eueniret Rex, & ipſe votis ardentibus à DEO petiuit, & ab alijs quoq́; preces concipi voluit: quod ipſius votum & aliorum benigniſsimè exaudiuit DEVS. Nam lectiſsima & generoſiſsima Princeps, Filia Illuſtriſsimi Ducis Vldarici & Elizabethæ, D. SOPHIA, piè & ſanctè à teneris annis educata, ipſi in matrimonium tradita fuit. Nuptias illas, præter Sponſæ parentes, ſua præſentia, Auguſto Electore Sax: Iohanne Regis patruo, & Iohanne eiuſdem germano fratre Holſatiæ Ducibus, Regni & Ducatus magnatibus ampliſsimis, ſplendidiſsimaq́; nobilitate alijsq́; multis, ingente omnium ordinum lætitia & congratulatione, cohoneſtantibus, votaq́; pro felicibus earum auſpicijs concipientibus, quæ DEO accepta fuiſſe reipſa & euentu comprobatum. Nam fuiſſe illud coniugium pium, ſuaue, caſtum & fœcundum, ſcimus omnes. Nec verò aliud eſſe potuit, cum vterq́; coniugum Illuſtriſſimorum, virtutibus illis omnibus, quæ cum alios, tum inprimis eos qui in ſummo dignitatis gradu ſunt collocati, ornant maximè, præditus fuerit.

Nuptiæ Regis & Sophiæ Anno Chriſti 1572. die Iulij 20.

D. D. Regis & Reginæ cuiuſmodi coniugia.

 Poſt

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

Poſt initum felix illud & beatum coniugium, tantum abfuit, vt Rex curam, quam ſemel ſuſceperat de conſeruando cultu DEI puro, deponeret, vt etiam ad illam indies aliquid acceſſerit. Quod ſatis declarat reliquæ vitæ curſus, quem ille conſtanter tenuit. Vt enim Academiam Hafnienſem ingentibus beneficijs cumulârat, ita quoq; in Paſtores & verbi miniſtros fuit munificus: auxit illorum ſtipendia, ſæpè diuertit ad illos, compellauit humanitèr, ornauit magnis muneribus, liberis & viduis illorum benefecit. Quid de Scholis alijs, quæ plurimæ ſunt in his Regnis, dicam, quarum nulla eſt quæ ipſius beneficentiam non ſit experta? ſtipendia Ludimagiſtrorum ampliauit, diſcipulis plerisq; de victu & amictu proſpexit, aperuit nouas Scholas, vt nuper Sorenſem, in qua liberalium artium egregiè doctus Magiſter, & tres hypodidaſcali multos nobili loco, & alios pueros & adoleſcentes docent bonas literas et doctrinam cœleſtem, atq; ad morum probitatem aſſuefaciunt. Vidit enim Rex, haud optimo conſilio, auctam & magnis redditibus locupletatam Academiam Regiam, niſi pueri & adoleſcentes in priuatis & minoribus Scholis, prius quaſi tyrocinijs quibuſdam literariæ militiæ præparentur, quàm ad capeſſendam in Academijs ſublimiorem artium & omnium diſciplinarum cogni-

Munificentia in Miniſtros verbi.

Sorenſe gymnaſium.

Scholarum priuatarum, & minorum vſus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

cognitionem atq; ſcientiam, accederent. Quod tamen à pluribus, qui præpoſtera ſtudiorum ratione, atq; intempeſtiua feſtinatione, relictis minoribus Scholis, ad Academiam agminatim magno cum detrimento Reipub. conuolant. Hæc Regia munificentia, quemadmodum anteà quoq; dixi, in Scholas horum Regnorum, ſempiterna laude atq; prædicatione digna eſt. Nam nec Religio, quæ fons eſt ſalutis hominum æternæ, & vinculum conſociationis inter ipſos arctiſsimum, nec Reſpub. abſq; literis, nec literæ abſq; ſcholis diu conſeruari poſſunt. Scholæ enim ſunt fontes ſalutares & limpidiſsimi, ex quibus doctrina de vera DEI noticia, artes omnes liberales, cæteraq; vitæ humanæ ornamenta præcipua, in templa, in curias, & ſingulorum familias emanant. Quare vt eſſent qui literis & artibus benè inſtructi, ad officia Eccleſiaſticæ & politicæ gubernationis adhibiti, doctrina, ſcriptis, conſilijs & oratione, rerum maximarum deliberationes regerent, tot tantaq; bona largitus fuit Rex doctoribus artium & literarum atq; ipſis diſcipulis, vt poſſeſsio doctrinæ quam à patre CHRISTIANO III. acceperat, in hiſce Regnis diu maneret, atq; ad poſteritatem propagaretur. In qua ne minimam quidem mutationem fieri paſſus fuit.

Bona quæ ex Scholis bene inſtitutis in omnes vitæ humanæ partes, præmanent.

Theologorum certamina.

Magnum

Magnum capiebat dolorem, ex acerbis & grauibus illis doctorum hominum contentionibus, quibus miſerè laceratur Eccleſiæ conſenſio: diſtrahuntur Principum & gubernatorum animi: inijciuntur multorum conſcientijs ſcrupuli, atq; dubitatio Academica de veritate doctrinæ cœleſtis: creſcit audacia hoſtium Eccleſiæ in oppugnanda doctrina, quam profitemur in ſcholis & Eccleſijs. Ab eiuſmodi contentionibus, vt abſtinerent ſui, ſeuerè iuſsit, ſancita in eos qui non parerent, graui pœna. Mandabat etiam abſtineri ab Eccleſiarum, quæ in alijs Regnis peregrinantur inſectatione. Cumq; intellexiſſet quotannis in vulgus ſpargi nouos libros, qui inexplicabiles controuerſias continerent, mandauit omnibus Epiſcopis, vt illi tanquam in ſpecula & excubijs poſiti, obſeruarent diligentiſsimè, ne Eccleſiæ, quarum inſpectio & curatio ipſorum fidei commiſſa erat, detrimenti aliquid ex librorum iſtorum lectione caperent. Quod ne fieret, iuſsit id genus libros, ex agris & finibus Regnorum ſuorum exterminari omnes. Quod ipſius edictum quantum profuerit toti Reipub. ad retinendam piam conſenſionem, & tranquillum ſtatum in Scholis & Eccleſijs, euentus docet. Nec dubium eſt FRIDERICI *II. nomen cum ob alia ipſius præclara facta, tum etiam ob hanc prudentiam & circumſpectionem, illuſtre red-*

Anno Chriſti, 1574.

ditum

ditum, & ſeræ poſteritati multorum ſcriptis atq; prædicatione conſecrandum.

Annis aliquot ſuperioribus, multi exules, dulciſſima patria atq; alijs quæ hominibus ſolent eſſe chariſſima, ob grauiſſimas perſequtiones & triſtiſſimas lanienas quæ fiebant in Regnis nobis vicinis, relictis, quærentes hoſpitium & domicilium, in quo piè & cum bona conſcientia poſſent viuere, ad nos acceſſerunt: erga quos quomodo ſe geſſerit Rex optimus operæprecium eſt ſcire. Profuit quidem illis omnibus, ſed ita vt ſuis in re omnium maxima cautum voluerit. Ius enim Ciuitatum in quibus manere vellent, & immunitatem à publicis oneribus integro decennio ipſis conceſſit, addita tamen hac conditione, vt priusq̃ accenſerentur ciuium numero, ederent coram Epiſcopis Paſtoribus, & aliquot politicis viris confeſſionem ſuam de præcipuis doctrinæ Chriſtianæ capitibus quæ compræhenſa ſunt in libro, qui latinè, danicè & germanicè ſcriptus extat, quiq; continet noſtrarum Eccleſiarum ſententiam de præcipuis doctrinæ fidei Chriſtianæ partibus. Norat enim Rex pleroſq; illorum hoſpitum veniſſe ex illis Regionibus in quibus multæ pernicioſæ hæreſes natæ, indeq; in varias Chriſtiani orbis partes diffuſæ, longè latèq; propagatæ eſſent. Nec nulli fuere illorum, qui ſolum rurſus vertere malue-

Humanitas erga exules & hoſpites, Anno Chriſti 1565.

Editus Anno 1569.

rint, quàm formulæ doctrinæ noſtrarum Eccleſiarum, quæ tamen veriſſima eſt, ſubſcribere. Vnde quàm neceſſaria fuerit hoſpitum illorum examinatio, fideiq́ ipſorum exploratio, ſciri poteſt.

Beneficentia erga pauperes.

Pauperes, quod etiam Chriſtiani magiſtratus eſt officium, ipſi curæ fuiſſe, argumento ſunt ingentia illa bona, quæ ipſis alendis in Noſocomiis, paſſim in Regnis ſuis eſt largitus, quæ profectò plura ſunt, quàm vt à me commemorari queant. Anni ſunt non multi, ex quo Reipub. Hafnienſi multa dalerorum millia ab ipſius M. & aliquot præſtantibus viris, ordinis Senatorij & alijs in annuos redditus donata fuêre, quibus bis in anno, honeſtæ familiæ ad inopiam redactæ ſubleuantur & munificè fouentur. Sæpè magnum numerum pecuniarum aliorum quoq́ oppidorum pauperibus diſtribuendarum miſit. Quod ab ipſo cùm aliâs ſæpè, tum in primis cum nouo aliquo beneficio à DEO affectus eſſet, fiebat.

Anno Chriſti, 1574.

Hiſce proximis annis aliquot, quibus frumenti inopia, vt etiam in alijs pleriſq́ Regionibus, laboratum fuit, iuſſit Præſidibus artium & prædiorum ſuorum agricolis & alijs tolerabili pretio frumentum vendere: Iis verò, qui egentiores erant quàm vt pretium poſſent ſoluere, magnum frumenti numerum donauit: memor illius Salomonis, prohibenti frumentum maledicet populus, benedictio autem

Prouerb: 11.

ſuper

ſuper caput vendentis frumentum. Quanti verò referat rectè coli agros, & experientia teſtis eſt, & ille qui dixit Agriculturam aliarum artium parentem atq; nutricem, qua bene habente, cætera valere: neglecta verò terra mariq; iacere omnia.

Xenophon: in œcono.

Vt autem honeſtè pauperes liberaliſsimè iuuit & fouit, ita robuſtos illos & otioſos errones, inertes & abſq; vlla debilitate miſerandos, qui paſsim vagando ſtipem ab alijs extorquere ſolent, à quibus etiam non raro multa turpiter & ſcelerate admiſſa compertum, ferre non potuit: Ideoq; legem ſanciuit, qua & mendicis egentioribus de victu proſpicitur, & validorum iſtorum hominum mendicatio prohibetur. Quod à magnis Imperatoribus quoq; factum olim, & verbo DEI conſentit optimè. Qui vt mandat cúm magiſtratui, tum alijs vt pauperum inopiam ſubleuent: ita quoq; promittit ipſorum benefactoribus ampliſsima præmia, & ſeuere otium prohibet: Si quis, inquit Paulus, nolit operari etiam ne edito. Ac eiuſmodi beneficentiam præmijs ornari à DEO, exemplis propemodum infinitis poſſet doceri, è quibus vnum tantum recitabo. Tiberius II. Imperator, adeô multa pauperum familijs alendis diſtribuere fuit ſolitus, vt à Sophia Iuſtini vidua reprehenderetur, quæ cum diceret, illa profuſione

Lex ſancita de validis & robuſtis mendicis.

Vt a Gratiano. Valentino Theodoſio & alijs.

2. Theſ: 3.

 (ſic

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

Tiberij II. liberalitas in pauperes.

(ſic enim vocauit munificentiam illam in pauperes) fiſcum exhauriri, reſpondit Tiberius: Nunquam fiſcum, quam diu portio aliqua pauperibus daretur, exhauriri poſſe. Quod verè ab ipſo dictum, poſteà euentus comprobauit. Nam DEVS & præclaras victorias ipſi dedit, & opes ipſius magno additamento cumulauit: quod hac occaſione euenit. Cum auream crucem inſertam marmori, ne illa pedibus conculcaretur, leuari iuberet, aperto ſepulchro ingentes theſauri inuenti, quibus fretus, res magnas & imperio vtiles geſſit. Sed quid opus eſt exteris, cum domeſticis exemplis abundemus. Quantis enim bonis præſtantiſſimorum Regum, vt de alijs nihil dicam, laudatiſſimæ memoriæ CHRISTIANI III. & FRIDERICI II. beneficentiam remuneratus eſt DEVS?

Philoſtorgia & amor in ſobolem.

Philoſtorgia & amor ipſius M. in liberos, DEI donum eximium, tres filios & quatuor filias, quibus heroica indoles & generoſitas ineſt omnibus, quantus fuerit, teſtatur illa paterna & pia ſolicitudo de ipſorum recta inſtitutione, quam ille norat eſſe bonæ diſciplinæ caput, & diligentiam, quæ teneros animos ad virtutum officia flectit, vim habere maximam. Curauit itaq; Rex optimus tenellos liberorum ſuorum animos mox ab ipſa infantia & teneris, quod dicitur, vnguiculis, prout cuiusq; ætas ferret,

Liberorum Regiorum prima inſtitutio & educatio.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

ferret, vera noticia DEI imbui, quod primùm in gyneceo Aulæ, ſchola quadam pietatis & honeſtatis, fiebat: deinde cum ætas ſingulorum paulatim matureſcens accuratiorem inſtitutionem flagitaret, delecti ſunt ad id munus obeundum viri pietate, doctrina & prudentia eximij, quorum laboribus vtiliſsimis affatim & copiosè DEVS benedixit. Nam Illuſtriſsimus Princeps CHRISTIANVS IIII. quem ego honoris & gratitudinis ergò nomino, Rex deſignatus, in Catecheſi Chriſtiana, in latina lingua, rerumq́; aliarum honeſtarum cognitione profecit plurimum: quem Vldericus frater, æmulatur magna cum laude. Vterq́; enim, excellenti ingenio, & vi memoriæ ſingulari præditus eſt. Quod ipſum quoq́; de filiabus Regis, verè à me poterit affirmari. Legunt illæ quotidiè aliquam partem ſcripturæ ſacræ, & inprimis Pſalmos Dauidis, quos ipſis Pater commendarat ſæpè, audiunt ſacras conciones attentè ac decenter, preces ad DEVM fundunt, cui matris viduæ mœſtiſsimæ, fratrum chariſsimorum, ſuam & Reipub. orbitatem commendant.

Filij Regij.

Filiæ Regiæ.

Quæ dixi hactenus, etſi optimo Regi inprimis curæ fuere, tamen cætera Chriſtiani Magiſtratus officia minimè neglexit. Iudicia enim conſtituit, legibus honeſtis paruit, ſubſcribens laudatiſ-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

Forenſes actiones & iuris adminiſtratio.

ſimæ illi legi Theodoſij: Digna vox Maieſtate regnantis, legibus ſe alligatum Principem profiteri. Ex legum præſcripto controuerſias motas diremit. Iudicijs enim ſæpiſſimè ipſe præfuit, ſecutus in eo Salomonis conſilium, cuius hæc eſt oratio. Rex in Iudiciali ſolio ſedens, diſcutit oculis ſuis omne maleficium. In controuerſiis dirimendis, primùm operam dedit, vt partium diſſidentium amica reconciliatio fieret, ac ſæpe, poſita Iudicis perſona, ſequeſtri & reconciliatoris ſumſit, in ijs præſertim litibus, quibus periculum de fama, exiſtimationeq́ alterius litigatorum eſſet. Deinde, ſi id non ſuccederet, ex legum præſcripto, ſeruata earum tamen moderatione, ſi id poſſet fieri, ſententiam pronunciabat. Non rarò magnis donis affecit litigantes, vt à litigando diſiſterent. Benemeritos de Repub. cuiuſuis ordinis, gentis & nationis, præmijs ornauit. Teſtes ſunt, non ſolum noſtræ gentis homines, ſed alij plurimi omnium ordinum, qui optimi Regis & Regni beneficijs, pro ſua quisq́ conditione, ſtatu, meritis, vtuntur fruuntur ampliſſimis. Cædes, vagas libidines, furta & id genus iniurias ſeuerè prohibuit delicti, non perſonæ habita ratione, ſontes puniuit. nec enim in pœnis locus eſſe debet proportioni Geometricæ. Illud verò ita certum quam quod certiſſimum, neminem ipſius volun-

Prouerb: 20.

Animaduerſio in eos, qui communem ſocietatē hominum turbant.

voluntate, niſi cauſa prius in legitimo iudicio examinata & lata ſententia ſecundum leges, ciuiliter vel criminaliter punitum. Qui ſecus facit, non Magiſtratus, ſed tyrannus potius eſt appellandus.

Leges nouæ ſancitæ & promulgatæ.

Veteribus legibus nouas quaſdam, ſed paucas easq́ Reipub. inprimis vtiles addidit, & id quidem de conſilio Ampliſſimorum Regni Procerum, & Senatorum ſapientiſſimorum, quos ille, vt & debuit, maximi in tota gubernatione, fecit, atq́ ſummo loco apud ſe habuit. Leges illæ de quibus loquor, ſunt de modo in dotibus & donationibus propter nuptias, in quibus multa in fraudem hæredum fiebant, ſeruando: de funerum ſumptibus, qui ad ſummum, magno cum Reipub. detrimento creuerant, moderandis: de repudijs et diuortijs, de quibus etſi leges quædam extabant prius, tamen ob earum vel breuitatem, vel ſententiam minus explicatam, in conſiſtorijs ijſdem de cauſis non rarò diſcrepantes ſententiæ pronunciatæ fuere. quod ne in poſterum fieret, addita fuit illis legibus quædam declaratio, iudicibus et litigatoribus in primis vtilis.

Moris eſt, eas controuerſias, quæ in iudicijs inferioribus non poſſunt decidi, in comitijs, quæ plerumq́ Hafniæ Regni metropoli habentur, Regis & Regni Senatorum ſententia, à qua nulla eſt prouocatio, finiri. Quæ comitia ſi ob certas cauſas

haberi

haberi non poſſent loco illis deſtinato, conſtitutum fuit vt certo anni tempore in ſingulis Regni ditionibus, aliquot è Regni Senatoribus cum alijs ad id delectis ſapientibus viris forum agentes, controuerſias & lites illas prorogatas terminarent.

Ephori & harmoſtæ miſſi in Noruegiã & Gothiam.

Eodem conſilio miſit ſæpe in Noruegiam & Gothiam inſulam eiuſdem Senatorij ordinis præſtantes Viros, quibus alij quoq; adiuncti fuêre. Qui in Præſidum, Iudicum & Præfectorum vitam & gubernationis rationem, ſubditis facta poteſtate accuſandi eos, à quibus iniuria affecti fuerant, inquirerent. Qua inſpectione factum, vt & gubernatores in officio continerentur, & ſubditi minus eorum iniuriæ expoſiti, beatius viuerent. Quæ piam & paternam curam optimi Regis, pro ſuis, ſicuti alia quoq; multa, quæ ille hiſce poſtremis annis gubernationis ſuæ patrauit, ſatis declarant, ex quibus nonnulla ſilentio nec poſſum, nec debeo præterire.

Principatum & Ducatum Sleſuicẽſem, a multis ſeculis, Regni Daniæ, Feudum eſſe, teſtes ſunt annales, Principum & Pontificum R. diplomata.

Vetus controuerſia fuit Daniæ Regibus cum Holſatiæ Comitibus & Ducibus, iam inde ab annis 476. & amplius, ad nos de Iure Regni in Ducatum Sleſuicenſem propagata. De quo nec optime inter laudatiſſimæ memoriæ Regem CHRISTIANVM III. *& fratres ipſius conſanguineos, Iohannem & Adolphum Holſatiæ Duces conuenit. Metuens itaq; Rex* FRIDERICVS, *ne controuerſia*

illa

illa motus ingentes & bella, quemadmodum meminerat factum temporibus Nicolai, Canuti (qui primus Dux Sleſuicenſis appellatus, & à Lothario Imp. Vandalorum Rex creatus eſt) Suenonis, Voldemari, Erici & Margaretæ Regum Daniæ, aliquando pareret; monuit Principes propinquos, vt illi, Regno auito in Ducatum Sleſuicenſem reſtituto iure, paci & tranquillitati horum Regnorum & ditionum conſulerent. De quo poſt varias conſultationes, tandem per arbitros honorarios, Auguſtum Electorem, Vldericum Megapolitanum Ducem, & Guilhelmum Lantgrauium Haßiæ res eò deducta fuit vt Iohannes & Adolphus Othoniæ in frequentibus comitijs, accepta ſolenni Feudorum ritu, Ducatus Sleſuicenſis inueſtitura, ſpoſponderint ſe atq; ſuos ſucceſſores Duces Sleſuicenſes in fide FRIDERICI *& ſucceſſorum Daniæ Regum conſtanter manſuros.*

Anno Chriſti, 1580.

Hîc eluxit admiranda DEI *prouidentia & bonitas, qui ſapientißimè rebus omnibus feliciter gerendis metas & momenta ſua conſtituit. Etenim quod multi potentißimi Reges Daniæ armis recuperare fruſtrà conati fuêre, id demum* FRIDERICO *rerum potiente, amica compoſitione poſtliminio redditum. In quo vt præſtantis Regis in Rempub. amor & fides, ita quoq; Illuſtrißimorum Ducum mo-*

Momenta temporum rebus gerendis a Deo conſtituta.

Eccleſi: 3.

deratio Iuſtitiæq́ amor eſt merito laudandus, qui Regi in eo, quod iuſtè poſtulatum fuerat, ceſſerint.

Legati in Scotiam miſſi, A. Chriſti 1585.

Eodem ſpectauit legatio in Scotiam miſſa, de Orcadibus, quæ ante annos centum & amplius dotis nomine, Margareta Chriſtiani primi filia Iacobo Stuardo Regi in matrimonium tradita, oppignoratæ fuerant, redimendis. De quibus etiam Iacobus VI. Sereniſſimus Scotiæ Rex ad nos ſuam legationem miſit. Quæ tamen controuerſia ob Regis immaturam mortem finiri nondum potuit, finienda verò cum DEO ita fuerit viſum.

Legatio ad Henricum Regem Galliarum miſſa Anno Chriſti, 1586.

Ipſi in primis curæ ſalutem Eccleſiarum horum Regnorum fuiſſe dixi, nec tamen pro exteris omnem ſolicitudinem depoſuit, quòd ita eſſe cum multa alia luculenter demonſtrant, tum etiam legatio illa magnis ſumptibus ad Henricum Regem Galliarum miſſa, qua interceſſum fuit pro Eccleſiarum illarum Gallicarum, quæ iugum Antichriſti excuſſerant, pace ſiue inducijs impetrandis. Quæ ſympathia Chriſtiano Magiſtratu digna eſt.

Profectio Luneburgū ſuſcepta, Anno 1586.

Nec alio conſilio ante biennium, ſumptuoſa illa profectio Luneburgum fuit ſuſcepta, quam vt Illuſtriſſimos aliquot Germaniæ Principes, conſanguineos & affines ſuos moneret de periculis quæ ipſorum ceruicibus, creſcente indies magis magisq́ Antichriſti potentia, imminent, auertendis: ne incauti

opini-

opinione citius opprimerentur. Quod ipſius conſilium, etſi euentum, quem ille optarat, non habuerit, meritò tamen laudandum eſt & prædicandum. Nam ſapientum hominum facta, non euentu, ſed propoſito æſtimari & ponderari debent.

Conſilium illud amicis Principibus datum ſecutus ipſe, comparauit magna diligentia & immenſis ſumptibus ea quibus hortuli cœleſtes, hoc eſt, Eccleſiæ, Scholæ, iudicia, leges, diſciplina, œconomiæ conſeruarentur & defenderentur. Etſi enim ea omnia diuinitus conſiſtunt, & in ſtatu ſuo permanent ſalua, tamen DEVS vult ad ſuum auxilium humanam quoq; induſtriam accedere. Naues itaq; quæ ſunt lignei muri & horum Regnorum propugnacula, maximis ſumptibus ædificari, varij generis arma fieri, & reliquum belli apparatum, vt in promptu haberet, curauit diligentiſſimè. Quod eò facilius ab ipſo fieri potuit, quod etiam in hoc Regno ſint excellentiſſimi omnis generis artifices, Architecti, Naupegi, fabri & id genus, cuiuſmodi paucos auorum noſtrorum memoria fuiſſe in his Regnis exiſtimo.

Diligẽtia Friderici Regis in comparandis ijs, quæ ad defenſionem horum Regnorum pertinent.

Artifices excellentes, Dei donum ſunt.

Sed cum armorum vſus abſq; ijs qui armis rectè vti ſciunt, nullus propemodum ſit, viros fortes & rei militaris ſcientes, quorum opera, ſi tempus & neceſſitas id flagitarat, ad earum

 rerum

Sapientes conſiliarij.

rerum, de quibus dixi, defenſionem & tuitionem vteretur, ſibi munificentia illa Regia officijsq; alijs adiunxit. Et cum arma parua ſint foris, niſi ea domi prudentia regantur, ſecum eſſe quoq; voluit viros qui togata etiam fortitudine atq; politica ſapientia excellerent. Quibus virtutibus, etſi plerisq; alijs antecederet, tamen aliorum ſapientum hominum conſilijs tribuit plurimum.

Quod ipſum cum faceret M. Antoninus à quodam familiari reprehenſus, dixit: quantò æquius eſt vt ego tot ac talium virorum ſecutus conſilium in eorum acquieſcam ſententijs, quàm vt illi ad meam vnius voluntatem ſe comparent? Oratio ſapiente Imperatore digna. Qui enim de ſua vnius ſententia omnia gerit, ſuperbus potius quàm ſapiens exiſtimandus, à quo vicio quantumuis florens potentia, dignitate & authoritate, in rebus gerendis ſucceſſu atq; felicitate, FRIDERICVS II. alieniſſimus fuit. Voluit itaq; Rex ſapiens ſecum eſſe viros & bellica & togata fortitudine præſtantes, erga quos, vt ſingularem beneuolentiam declararet, interdum valetudinis minus accuratam rationem habuit. Quod tempori & moribus hominum, magna ex parte adſcribi debet. Vt enim fluminum impetus ſecum abripiunt nauigantes, ſic errores temporum trahunt homines, vt minus præſentia improbent. Nam

Valetudinis ratio negligentius habita.

Cicero pa-tad: 6.

ſingulæ

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

ſingulæ ætates contagij aliquid miſcent hominum naturæ, quæ in hac imbecillitate, nunq̃ eſt ſine vicijs: & fit ferè, quod Seneca dixit, vt remedio locus non ſit, vbi quæ vicia fuerunt, mores fiant. Quod ipſe non rarò fatebatur. Habent quidem etiam maximi Principes ſuos quoſdam næuos & errata; ob quæ tamen boni Magiſtratus nomen non amittunt. Quanti viri, DEVS bone, fuêre Dauid, Ezechias, Ioſias & alij nonnulli, quorum errata quæ literis prodita ſunt, quis neſcit? Non quidem, vt eos errantes imitentur alij, ſed vt agnita ſua imbecillitate, & viuant circumſpectius & cum lapſi fuerint (Non eſt enim iuſtus in terra qui benefaciens etiam non peccet) illorum exemplo reſipiſcentes, in gratiam cum DEO redeant. Fatendum itaq; eſt, FRIDERICO Regi ſuos quoq; næuos fuiſſe, quos DEI immenſa miſericordia benignè contexerit.

Magnorum virorum errata.

Eccleſi: 7.

Quanta vero authoritate ipſe præſtiterit, teſtantur illæ crebræ & ſplendidæ legationes ad ipſum miſſæ, Imò maximorum Principum ad ipſum acceſſus, vt cum ipſo de rebus maximi ponderis momentiq; conſultarent. Quod ab ijs plerumq; quorum res aduerſæ fuêre factum meminimus. Fuit enim Rex aræ inſtar, ad quem vi & iniurijs oppreßi confugerent. Principes Principumq; legatos, quanta comitate, & humanitate

Authoritas Magiſtratus Dei donum.

Prouerb: 20.

aduéni-

Humanitas comitas & munificentia erga legatos.

aduenientes exceperit, & abituros dimiſerit, quantisq́ muneribus ornarit, vt fuit ad benefaciendum alijs natura propenſus, longum foret commemorare. Intellexit enim Regna Principibus diuinitus dari ad beneficentiam in alios exorcendam, atq́ de genere humano benè merendum. Quod ipſi ſummo ſtudio atq́ curæ fuiſſe, ex ijs quæ dixi, & multis alijs quæ temporis anguſtia dici non patitur, ſatis intelligi poterit.

Procerum & ſubiectorum amor erga Regem.

Procerum Regni & ſubiectorum in ipſum quantus amor & beneuolentia fuerit, plurima ſunt quæ ſatis demonſtrant, quorum vel præcipuum eſt, quòd Magnates Ampliſsimi ante annos ferè quatuor Illuſtriſsimum Principem, CHRISTIANVM IIII. ſumma voluntatum & animorum conſenſione, maiorum exemplo, Regem deſignarunt. Quæ ſummæ, & in Sereniſsimum Patrem, & Illuſtriſsimum Filium beneuolentiæ atq́ fidei teſtificatio erat. Id ipſum quoq́ plangore, comploratione & lamentatione omnium ordinum Reipub. cum eum humanis rebus exemptum percrebuiſſet, intellectum.

CHRISTIANVS IV. Rex deſignatus, Anno Chriſti, 1584.

De hac fide & beneuolentia ſubiectorum cum ſibi gratularetur, huiuſmodi oratione vti ſolebat. Sunt inquiebat magni Principes nobis non ignoti, qui rarò venatum, niſi expeditorum equitum magno

numero

numero ſtipati, & quaſi vallati exeunt, adeó ſibi à ſuis metuunt: At mei in me, vt & ego in eos, alio ſunt animo affecti. Nemo enim meorum omnium eſt, quî cum vel noctu ſolus non auſim iter facere: atq;, ſi ita opus foret, in ipſius ſinu dormire. Oratio profectò magnanimo & ſibi benè conſcio Principe digniſſima.

Similis narratio de Eberhardo, Duce Virtebergico extat.

Nam regium eſt ſic imperare alijs, vt ameris potius quàm metuaris. Metus enim malus eſt cuſtos diuturnitatis: Contra verò non arma & exercitus, ſed protectio DEI, ſociorum amicitia, ſubiectorum amor & fides ſunt Regum adamantina præſidia. Hæc fiducia ipſum à futilibus & friuolis ſuſpitionibus, quæ plerumq; minuti animi conſilijq; inopis argumentum ſunt, liberum reddidit.

Regum firma præſidia.

Mendacium quoq; (vt id hoc loco commemorem) odit vt qui maximè, non aliter atq; heros ille de quo Poëta.

Mendacij oſor.

Odi etenim ceu clauſtra Erebi, quicunq; loquuntur
Ore aliud, tacitoq; aliud ſub pectore condunt.

Achilles Homericus.

Atq; idem tamen multa etiam intimos non rarò celauit. Non enim neceſſe eſt ſemper claram veritatis faciem oſtendere: vnde factum vt ardelionibus & ſycophantis, quibus obſonium eſt, Principum animos in bonos & innoxios inflãmare, aures rariùs pa-

Pindarus.

Aſſentatores & Sycophantæ.

teface-

teſaceret. Cum enim aliquis ſe ad famæ abſentis obtrectandum pararet, audijt: vide dicas, quæ poſt voles audire. Nam quæ dixeris, primam nactus occaſionem, illi, de quo fueris locutus, renunciabo. Quod vt faceret Rex, in ſchola Spiritus Sancti didicerat. Ille enim verbis Dauidis, qui aularum artificia nôrat optimè, docet magiſtratus, cuiuſmodi conſiliarios & miniſtros ferre atq́ audire debeant. Quem Pſalmum FRIDERICVS *Rex initio gubernationis, Eccleſiaſtæ ſui ſcholijs illuſtratum, in priuatum ſuum vſum, typis excudi curauit. Quanta verò peſtis humani generis ſit calumnia, ſapiens ille Princeps docet, qui monet non ſolùm linguam, ſed ne aures quidem calumnijs impertiendas, quòd duo ſint, qui vnum iniuria damnoq́ afficiunt. Qui enim calumnias alteri ſtruit, illum quem abſentem vituperat, ſceleratè lædit. Qui verò auſcultat, eundem lædit, quia delectatur inclementibus in abſentem dictis, ignarus veritatis. Ita in vnius miſeri, & quidem inſcientis perniciem duplex conſentit, & quaſi conſpirat malitia.*

Pſal: 109.
Idea bene inſtitutæ aulæ.
Artabani oratio apud Herod. lib. 7.

Eſſent quidem multò plura commemoranda de virtutibus FRIDERICI *Regis, eiuſq́ præclaris factis, ſed ne videar auditorum beneuolentia & æquitate abuti, contrahenda nobis erunt orationis vela, plurimaq́ alijs, qui ſuo tempore de his ſcribent luculenter, relinquenda.* *Nihil*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

Nihil itaq; dico de arcibus & munitionibus
tum alijs tum etiam Fridrichsburgo & Cronburgo, Arces.
arce omnium pulcherrima, quæ ad Danicum Hel-
leſpontum poſita, & ornamento & munimento hiſcé
Regnis eſt: nihil de templis quæ ille vel à fundamen- Templa.
tis excitari, vel vetuſtate ferè collapſa, magnis ſum-
tibus inſtaurari curauit. In quorum nonnullis exteri
& noſtratis linguæ ignari, ſacros conuentus cele-
brant, quorum Eccleſiaſtæ Regijs, ijſq; opimis, ſa-
larijs viuunt. Quis enim Regum ſuperiorum mini-
ſtris ſuis ampliora ſtipendia, quàm FRIDERI-
CVS II. *perſoluit? Nihil de* CHRISTIANI III. *tu-* Monumentum Chriſtiano III. poſitum.
mulo, quem in huius auguſti templi ædicula mo-
numento pulcherrimo ex alabaſtrite, Lydioq; la-
pide imaginibus & ſculpturis artificioſiſſimè, ma-
gnis ſumtibus elaborato, decoratum cernitis: nihil
de Boringholmia inſula copioſa & fertili, poſt Boringholmia reſtituta Anno 1576.
quinquaginta annorum ſeruitutem in priſtinam li-
bertatem aſſerta: nihil de nauigatione vltra Nor-
uegiæ promontoria ad emporia Moſcorum hiſce
proximis annis, magno noſtro commodo, aperta:
nihil de conuentione cum Anglis, de commercijs, Anno 1583.
quæ illi cum Moſcis & alijs, Regis noſtri & Re-
gni Senatorum conceſſu, miſcent: nihil de alijs
multis, quæ magna cum laude FRIDERICI *poſ-*
ſent commemorari. Properat enim oratio ad Hi-

ſtoriam obitus ipſius exponendam, quam ſi liceret, mallem prætermittere. Sed cum illa quoq; illuſtria immenſæ bonitatis DEI erga FRIDERICVM ſuum documenta contineat, & fructum, quem ille ex veri DEI cultu atq; conſtante pietate percepit, nobis ob oculos ponat, omitti non debet. Referenda itaq; veriſsimè, quemadmodum eam à viris fide digniſsimis, qui Regi ægrotanti & morienti adfuere ſemper, accepimus.

Valetudo Regis.

Ea corporis temperatio, & valetudo Regi FRIDERICO fuit vſq; ad annum ætatis quinquageſimum tertium ferè, quæ rariùs morbis tentaretur. Tunc enim virium quædam naturalium imbecillitas animaduerſa, quam paulatim auxêre graues & moleſtæ cogitationes, de triſti atq; deformi ſtatu orbis Chriſtiani, deq; continuatis tot Regiæ gentis & familiæ Principum funeribus: vt Iohannis & Adolphi patruorum: Magni germani fratris: Annæ Sororis, Auguſti Sororij: Elizabethæ fratriæ: Elizabethæ ſocrus: Elizabethæ F. Adolphi, eiuſdemq; filij FRIDERICI & aliorum. De quibus ſæpè dicebat Principes ſibi coniunctiſsimos in veram & cœleſtem patriam abijſſe: eôdem quoq; ſibi breui commigrandum. Quo ſermone paucis complexus eſt omnia illa, quæ nobis in amicorum morte atq; funerum ceremonijs,

Mortui Iohan: Anno 80. Kal: Octobris.
Adolph: A. 86. Kal: ijſdem.
Mag: A. 84.
Anna 85. Kal: Octobris.
Augu: Anno 86. 11. Feb.
Elizab: vxor Vlderici. 86. 24. Octob

piè

pie ſunt cogitanda, cuiuſmodi eſt & illud: *Hodie mihi, cras tibi.* Tota ferè æſtate ſuperiore, catarrho & ſicca tuſſi grauiter affligebatur. Elizab: F. Adolphi 87. Frid: Adolphi F. A. 87.

Cum Synderburgi eſſet, vt nuptias Ducis Iohannis fratris, & Hagnetæ Hedwigis, quæ Auguſti Electoris vxor fuerat, ſua præſentia cohoneſtaret, ſacræ quidem & ſolenni Illuſtrium Sponſi & Sponſæ benedictioni interfuit: Sed à conuiuijs, niſi quando Principes, qui conuenerant, ſalutandi eſſent, plerumq; abfuit. Quod ipſum Haterſlebij quoq; factum. Eò enim Principes illos omnes, qui conuenerant Synderburgi, & in ijs D. Iohannem Georgium Principem Anhaltinum, & D. Dorotheam Principem Mansfeldicam ipſi deſponſam, inuitârat. Quorum nuptias quoq; apud ſe atq; ſuis ſumptibus fieri voluit. Quod more ſuo fecit. Vt enim honeſti coniugij amantiſſimus erat: ita quoq; multi nobili loco nati & alij, ipſius ſecuti authoritatem, matrimonium, cuius ille proxeneta & conciliator fuit, inière, quos ſplendidè apparatis conuiuijs honoratos, magnis beneficijs cumulauit.

Nuptiæ Ducis Iohan: & Hagnetæ Hedwigis 14. Feb. celebratæ.

Nuptiæ Principis Anhalt. & Mansfeld. celebratæ 21. Februarij.

Amor Coniugij.

Anhaltini & Mansfeldicæ nuptijs Regio apparatu celebratis, Principibusq; exteris, præter D. D. Philippum Brunſuicenſem, & Chriſtianum Anhaltinum, quos diutius ſecum eſſe voluit,

Principes exteri dimiſſi.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

amantiſsimè dimiſsis: profectionem, in Selandi-am rediturus, vt ſoli & cœli mutatione vires corporis nonnihil recrearet, aliaq; negocia expediret, adornat.

Neoburgum venitur.

Hatterſlebio itaq; in fine Februarij digreſſus Neoburgum quarto die Martij venit, vbi, quamuis ſecundus ventus ad nauigandum inuitaret, biduum tamen ferè tuſsi ſicca, quæ ipſi ſomnum ſæpius interrupit, grauiter afflictus, ſubſtitit.

Sexto die ſinum Balthici maris tranſmiſſurus, nauim ægrè conſcendit, quâ cum veheretur, aberat ipſi familiaris antea vultus hilaritas & ſuauitas. Cæteris vectoribus cibum capientibus, ipſe, præter morem, loquutus pauca, parum comedit. Korsöram ac inde Antuorſchouiam arcem ſub noctem eiuſdem diei peruentum. vnde ad Croneburgum arcem cogitabat. Verum Medico ſuadenti, vt dies aliquot, intermiſſa profectione, curando morbo tribueret, ſermone veræ quidem pietatis indice, ſed ominis ſiniſtri pleno reſpondit, ſe morbo eiuſmodi confici, cui ſolus DEVS mederi poſsit: velle ſe tamen medici conſilium ſequi, ne artem illam præclaram diuinitus monſtratam hominibus, aſpernari videretur: Vicem verò Principum exterorum, quibus mora illa grauis eſſet futu-

Redit in Sielandiam.

Ars medica Dei donum. Syrach. 38.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

ra, ſe dolore. Quo ſermone ſe illorum diſsimilem, eſſe oſtendit qui cum ut volunt habent, de aliorum commodo vel incommodo parum ſunt ſoliciti.

2. Chron: 16.

Aſa Rex Iuda magnam laudem, quòd cultus DEI inſtaurandi & propagandi fuerit ſtudioſus, meretur: Sed idem vituperatur, quòd morbo afflictus, ad medicos tantùm, non ad DEVM, accurrerit. At Rex FRIDERICVS & medicamentis, quantum quidem vires corporis poſſent ferre, vſus eſt, et DEVM ardentiſsimè precatus, quòd etiam ab alijs fieri voluit, vt ille peccato, prima morborum & omnium ærumnarum, quibus ſubiectum eſt genus humanum, cauſa, ſibi condonato, morbum tam dirum vel tolleret, vel mitigaret, prout ipſius paternæ voluntati & bonitati videretur. Quæ preces minimè fuerunt irritæ. Nam DEI ope atq; medicamentorum efficacitate eiuſmodi facta morbi remiſsio, vt plerique omnes ſpem de vita ipſi longiùs proroganda, vt Ezechiæ & CHRISTIANO III. laudatiſsimis Regibus euenit, conceperint. Quam ſpem cum ipſe quoq; haberet, iniunxit Reginæ, vt illa Hatterſlebium profecta, liberos, quos ibi reliquerant, quàm poſſet celerrimè ſecum adduceret. Quod per ipſam fieri voluit, vt liberi minore cum periculo ad ſe traducerentur. Ingenti enim deſiderio, vt

Petitio auxilij Dei morbi curationi iuncta.

2. Reg: 20. Eſaiæ 38.

Regina Hatterslebium proficiſcitur.

G 3 ſunt

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

ſunt in heroicis naturis ſtorgæ expreſsiores, eos
Rex philoſtorgus. *videndi ardebat. Etſi verò illa, fluctuante adhuc Regis valetudine, inuita diſcederet, tamen vt voluntati ipſius, quemadmodum aliâs ſemper, morem gereret, inter ſpem & metum hærens, viæ ſe committit.*

Nihil ſub Sole firmum. *Vt nihil in humanis rebus firmum, nihil ſtabile, nihil diuturnum poteſt reperiri: Ita quoq; ſpes illa de vita in his terris longiùs proroganda, citò, præter expectationem euanuit. Nam aliquot*
Exaſperatur morbus 25. Martij. *dies poſt Reginæ abitum morbus nouis auctus viribus, tanto cum impetu recurrit, vt nulla propemodum euadendi ſpes appareret amplius. Quod etſi Rex animaduertit, tamen Medicum, qui ipſi charus erat, interrogat, quidnam de morbi ſtatu*
Colloquium Regis, cum Medico. *nunc ſentiret. Ad quæ Medicus, nihil diſsimulans, ſibi præſidij parum in ſecundis cauſis reliquum videri. DEVM verò, quæ eſt ipſius paterna bonitas & omnipotentia, in graui hoc naturæ & morbi conflictu, quod ſuæ gloriæ, Eccleſiæ & horum Regnorum bono & ſaluti cederet, facturum. Nec dubitare ſe Regem pium, vt in omni vita ſuperiore, ita quoq; hoc tempore, quæ cum DEO in æternæ ſalutis negocio forent agenda, piè cogitare. Cui Rex: Se nec de vita hac mortali, nec de vllis alijs rebus fallacibus & incertis, cu-*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

iuſmodi ſunt huius mundi omnia, ſolicitè angi: Vitam verò, animam & quicquid boni poſsidet, DEO cui debeat omnia, fideliſsimo cuſtodi & depoſitario commendata, eiusq; conſtantiſsimæ fidei commiſſa velle. Nec quicquam quod Chriſtiani hominis foret, in ſe, DEI vnius gratia ſuſtentato, deſideratum iri.

Colloquium Regis cum Paſtore.

Paulò poſt Eccleſiaſtæ conſilium ſuum de vſu cœnæ Dominicæ, in quartum diem differendo, ſe mutaſſe aiebat. Quòd quantò plus ingraueſceret morbus, eò maiori deſiderio eſcæ corporis & potionis ſanguinis CHRISTI, quibus eſuriens & ſitiens anima recreari & foueri poſſet, incenderetur. Paſtor itaq; voluntate Regis intellecta, ipſum de ſalutari ad corporis & ſanguinis Filij DEI ſumptionem præparatione, ex Paulo, deq; conſolatione, (1. Cor: 10.) quæ pijs omnibus in Teſtamento CHRISTI proponitur, piè monuit. In qua Catecheſi cùm Hypoſtaticæ vnionis duarum naturarum in CHRISTO, eiuſq; beneficiorum in genus humanum mentio fieret, animaduertebatur ipſius cor miranda quadam cupiditate & ardentiſsimo vitæ æternæ deſiderio ardere.

Priuata Regis confeſſio die 3. Aprilis,

Tertio die, ſemotis alijs omnibus, in priuato cum Paſtore colloquio, præclaram fidei ſuæ confeſſionem edidit de peccato, de Gratia DEI, quæ

infi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

infinitis partibus omnium hominum omnes miſeria ſuperat, deq; pollicitatione gratitudinis erga DEVM, ſi diutius in terris ipſum ſupereſſe vellet. Cui hæc piè locuto Paſtor, auctoritate ſacri miniſterij, CHRISTI nomine, remiſsionem peccatorum omnium annunciat. Colloquio illo finito, Magnificoq; Cancellario, nobilibus aliquot miniſtris & alijs cubiculum ingreßis, recitantur à Paſtore fidei Chriſtianæ capita: fiuntq; preces ab omnibus, qui aderant, pro ſalute Regis, eius in fide perſeuerantia, morbiq; in melius, prout DEO placeret, commutatione, quibus addita recitatio Pſal. 25. & dulciſsimæ promiſsionis CHRISTI: *Iohan: 15.* *Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Atq; eam ſecuta communicatio corporis &* Vſus Cœnæ Domini. *ſanguinis CHRISTI, & gratiarum actio pro ſummis illis beneficijs, nobis à DEO per Filium ipſius præſtitis: pronunciata deniq; Aaronica benedictio his verbis:*

Nume: 6.

Benedicat tibi *IEHOVA* & cuſtodiat te:
Leuare faciat *IEHOVA* faciem ſuam ſuper te, & miſereatur tui:
Attollat *IEHOVA* faciem ſuam, & ponat in te pacem.

Atq; ita Rex, abiecta rerum aliarum omnium cura, deq; ijs anxia ſolicitudine, cœleſtium &

æter-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

æternarum meditationi, coniuge dilectiſſima, chariſſimis liberis, Regnis, & ſubiectis, DEO fideliſſimè commendatis, ſe totum dedit.

Poſt meridiem cum à leipothymia, quæ aliquoties recurrebat, ad ſe redijſſet: Sententiæ aliquot, quibus ille in meditatione beneficiorum CHRISTI detineretur, recitatæ, cuiuſmodi ſunt: Sic DEVS dilexit mundum &c. Oues meæ vocem meam audiunt: & Ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum. Ego ſum via, veritas & vita. quas ille attentiſſimè audiuit.

Iohan: 3.
Iohan: 10.
Iohan: 14.

Sub noctis horam decimam redijt Regina difficili & periculoſo itinere terra mariq; confecto, atq; mox cubiculum ingreſſa Regem dormientem inuenit. qui paulò poſt expergefactus, eam his verbis amantiſſimè alloquitur. Veniſti ne tandem vxor mihi exoptatiſſima? Salui ne liberi noſtri? Ad quæ illa: omnia, mi Domine Rex, ſalua, modò DEVS Opt. Max: te nobis ſaluum & incolumem eſſe voluerit. Etſi autem Reginæ de via & maris iactatione feſſæ quiete opus fuiſſet: tamen noctem illam totam peruigil mariti lecto aſſidens, quæcunq; ab vllo homine officia proficiſci poſſent ipſi præſtitit.

Regina redit per nobilem reuocata.

Quarto die illuceſcente parat ſe Rex ad ſacram concionem audiendam, cui cum ex more Pſal-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

*mi aliquot à cantoribus & Symphoniacis pueris eſ-
ſent præmittendi, eoſdem ille de libro ſuo vnà cum
alijs concinit, atq; libro Reginæ reddito, enarratio-
nem dulciſsimæ illius ſententiæ, qua plurimùm dele-*
Iohan: 3. *ctabatur: Sic DEVS dilexit mundum, vt filium
ſuum vnigenitum dederit, vt omnis qui credit in
eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam: atten-
to animo auſcultauit. Qua finita, iuſsit ſe de cubi-
culo in proximum cœnaculum deferri, in quo, poſt
aliquot leipothymias, ad ſe reuerſus, monebatur à
concionatore cum Dauide his verbis precandum:*
Pſalm. 25. *Anguſtiæ cordis mei dilatarunt ſe: ex anguſtijs me-*
Euthymia Dei donum. *is educ me Domine. Ad quæ ille: Nullas cordis
anguſtias ſentio, viribus vero corporis ſum defectus:
atq; hæc locutus animo concidit. Quo mox collecto,
dixit: Hæc erat grauis incurſio: O, ſi quis eam
ſuperaret. Tunc Paſtor: in itinere, quo nunc es,
mi D. Rex, nemo fidelium omnium perijt. CHRI-
STO enim, omnibus in eum credentibus præeunte,*
Iohan: 14. *hæc via ſtrata & aperta. Quorum in numero cum
ſis, ille, qui eſt via, veritas & vita, rectâ in veram
patriam te adducet. De eo, inquit Rex, nihil pror-*
Quartana laborauit rex Anno Christi 1576. *ſus dubito. DEVS mihi felicem horulam largi-
atur. Addebatq́; ſibi aliquando quartana laboran-
ti eueniſſe, vt, miniſtris omnibus abſentibus, animo
deficiens humi concideret, ita ſenſu omni captus, vt*

è vita

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

è vita exceßiſſe videretur: Et cum auxilio DEI fretus ad ſe rediÿſſet, hæc ſecum cogitaſſe: En mortuus reuixiſti: ſi mors nihil eſt aliud, quàm quod modò expertus es, facilis per eam in vitam æternam erit tranſitus. ô ſi mihi in ſeparatione illa ſpiritus à corpore, quam prope abeſſe video, id largiatur DEVS, ne aut diutius aut vehementius torquear, quàm vires meæ ferre poßint. Ad quæ Paſtor: Mortis metus, & quicquid eum antegreditur, morte ipſa terribilius eſt. Scriptura enim mortem cum graui ſomno comparat. Ideoq́; Paulus illi inſultans exclamat: vbi eſt tuus, ô Mors, ſtimulus? vbi tua, ô Inferne, victoria? DEO ſit gratia, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM. Eodem quoq; animo fuiſſe FRIDERICVM Regem non dubium eſt. Etſi enim in mortis faucibus hæſerit, tamen ſtimulum eius nullum ſenſit. Nam in corde, à quo metus mortis abfuit, vitæ æternæ initium erat.

Mors ſomno ſimilis.

Iohan: 10.

Actor: 7.

1. Corint: 15.

Hic emicuit admiranda animi Reginæ moderatio, quæ etſi, quod etiam Magnifico D. Cancellario Nicolao Kaas dixit, prope adeſſe videret horulam, qua, Rege dilectißimo ex his terris in cœlum euocato, vidua fieret, tamen ne piæ Regis meditationes interpellarentur, ab omni querela, planctu & eiulatu, cui tamen ab ipſius conſpectu auerſæ lachrymæ

Moderatio animi Reginæ.

vbertim genas rigarunt, abſtinuit. Eiuſdem moderationis & pietatis, quod ſubijciam, argumentum fuerit.

Iohan: 12.

Cum recitarentur CHRISTI verba illa ex Iohannis Euangelio: Amen amen dico vobis, niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum manet ſolum. Si verò mortuum fuerit, multum fructum afferet. Regina, ſermone ad maritum conuerſo, interfata dixit: Dorothea matertera mea in agone cum morte vel præcipuam conſolationem ex eo hauſit, quod temporariam hanc mortem vita æterna mox excipiat: Verbaq́ cantici ſolennis, quorum hic ſenſus eſt, aliquoties ab ea iterata & repetita dixit: Mirum duellum, quo Mors & vita lucta certarunt: Triumphans vita triumphatam mortem abſorpſit, Hæc Regina. Illuſtri exemplo pijs matronis omnibus relicto, quòd nam ipſis in ſimilibus anguſtijs & tentationibus ſit agendum.

Vxor Chriſtophori Ducis Megapolitani, quæ obijt A. 1575.

Rex paulò poſt Medici manum pectori ſuo admouit, vt cordis motum exploraret, extenditq́ brachium, vt carpi arteriam contrectaret, cuius motum cum admodum imbecillem, quod ipſemet ſenſit, audijſſet, in hæc verba erupit: Pulſet in nomine Domini. Ego ſum, DEO ſit gratia, æquo animo. Scio enim, ſiue moriar, ſiue viuam, me Domini mei

IESV

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

IESV CHRISTI eſſe. Sub quartam pomeridianam recitati ſunt hi verſus è Pſalmo Dauidis. verbis Paſtore præeunte.

Miſericors & clemens *IEHOVA*: tardus ira & multus bonitate. Non perpetuum rixari ſolitus, nec in ſeculum iram aſſeruat. Non ſecundum peccata noſtra fecit nobis, neq; ſecundum iniquitates noſtras rependit nobis. *Pſal: 103.*

Vt miſeretur pater filiorum, miſeretur *IEHOVA* timentium eum.

Ad quæ Rex clara & forti voce. Verum eſt, verum eſt. Qua clauſula ille fidei ſuæ confeſſionem in his terris ſanctè finiens, in meditatione verborum Vt pater miſeretur filiorum, miſeretur IEHOVA timentium eum, vt & CHRISTIANVS III. pater ipſius ante annos viginti nouem, acquieuit. Atq; de varijs rebus locutus cum Regina, dixit ſe velle ſurgere. Seceſſit itaq; illa & alij omnes, præter Cubicularium nobilem, & paucos aliquot miniſtros, à quibus cum leuaretur è lecto, in leipothymiam recidit. Quo cognito confeſtim accurrunt Regina, Cancellarius, præſes arcis, nobiles miniſtri, Medicus & Paſtor, à quo, recitatis verbis illis: In manus tuas depono animam meam: redemiſti me IEHOVA DEVS verax: & inchoante orationem Domini- *Pſalm: 31.*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

cam, FRIDERICVS II. confecto vitæ mortalis curriculo, placidè, quemadmodum ſæpe optarat, abſq; omni cruciatu, aliquot ductis ſuſpirijs, obdormiuit in Domino, cum vixiſſet annos 53. Menſ: 9. dies 4. Anno verò Regni 29.

Moritur optimus Rex, Fridericus II. ſesquiquinta hora pomeridiana.

Mors piorum Auguſtini verbis deſcripta.

Hanc beatam piæ animulæ migrationem de labore ad refrigerium, de expectatione ad præmium, de agone ad brauium, de morte ad vitam, de fide ad notitiam, de peregrinatione ad patriam, gratulemur. Et cùm mortem Magnorum Regum & ſalutarium Principum triſtes confuſiones & fatales pœnæ, vt exemplis Ioſuæ, Ezechiæ, Ioſiæ, Conſtantini Magni & aliorum declarari poſſet & experientia teſtis eſt, plerumq; in Regnis & imperijs comitari ſoleant: noſtrum fuerit in id ſeriò incumbere, vt, placata ira DEI, mala, quæ nobis ipſe, vt videmus, minatur, effugiamus. Quod quanam ratione fiat docent nos Prophetæ interpretes voluntatis DEI. Sic enim concionatur Eſaias: Requirite IEHOVAM dum præſtò eſt: inuocate eum cum eſt propinquus. Derelinquat impius viam ſuam, & iniquus cogitationes ſuas, reuertaturq; ad IEHOVAM, vt miſereatur ipſius, & ad DEVM noſtrum, quia plurimum condonat. Et alius inquit: Perſcrutemur vias noſtras & perueſtigemus, atq; reuertamur vſq; ad IEHOVAM. Attollamus animum noſtrum

Plato quando Reip. impendet mutatio, Deus bonos viros ex ea euocat.

Eſaiæ: 55.

Ierem: lamentis 3.

cum

cum manibus ad DEVM fortem in cœlis, dicentes: Nos defecimus & rebellauimus. Agnoſcamus itaq; peccata noſtra, ſerioq; ea deteſtemur: confugiamus ad DEVM vera fide atq; reſipiſcentia, viuamusq; vitam ipſi gratam: ita fiet, vt vel tollantur vel mitigentur pœnæ, quas ingentibus & atrocibus peccatis atq; ſceleribus noſtris, quibus DEI vindicis iuſtiſſima ira in nos prouocatur, commeriti ſumus.

Virtutes Friderici Regis.

Atq; hucvſq; de hiſtoria vitæ & mortis, (quantum quidem ſinit huius temporis anguſtia,) laudatiſſimi Regis FRIDERICI II. cuius fuerunt excellentes virtutes, conſtans in DEVM pietas, animi celſitudo eximia, iuſticiæ non fucatæ amor pia prudentia, heroica beneficentia, clementia, continentia, paterna de Eccleſiæ & veræ Religionis conſeruatione ſolicitudo & cura, philoſtorgia, moderatio in ſecundis & aduerſis rebus, humanitas & id genus aliæ: quas virtutes vt ſua dona longè maximis præmijs ornauit DEVS felici curſu gubernationis, ſecundo coniugio, ſobole numeroſa vereq; Regia, bona & diuturna valetudine, authoritate longè maxima, ſociorum conſtante amicitia, ſubiectorum vera beneuolentia & exoptatiſſima ex hac vita in illam quæ verè vita dicenda eſt, abitione atq; migratione. De quibus quod me, vt potui, dicentem tam benigne

audi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

audieritis, vobis, Illuſtriſsimi Principes, Illuſtres & generoſi Legati, ſapientiſsimi Regni & Ducatum Senatores, alijq; omnes, quotquot huic parentationi adeſtis, gratias ago, quantas animus meus maximas capere poteſt, & peto qua par eſt ſubmiſsione, vt ſi quæ mihi in hoc publico luctu, & animi mei perturbatione incogitantius exciderint, ea velitis benignè accipere atq; interpretari. Quod vos facturos mihi de vobis polliceor.

DEO æterno patri Domini IESV CHRISTI, vnici Redemptoris & Seruatoris noſtri, mundi totius Monarchæ ſummo, per quem Reges

Prouerb: 8. regnant, & dominatores iuſta decernunt, gubernationem horum Regnorum, quæ FRIDERICVS II. vera Religione, pace, legibus, diſciplinæ neruis, opibus, & viris omnium virtutum laude præſtantibus conſtituta optimè reliquit, commendamus: eundem votis ardentibus precamur, velit deinceps quoq; hæc Regna Eccleſiæ ſuæ hoſpitium eſſe, in quo doctrinæ cœleſtis puritas, & pia conſenſio de cultu DEI, & veræ pietatis exercitijs retineatur: Sereniſimam Reginam D. SOPHIAM in hoc acerbiſſimo luctu & mœrore conſoletur: Illuſtriſſimum Principem D. CHRISTIANVM IIII. Regem electum, ductu Spiritus ſancti gubernet, atq; Illuſtriſsimam domum & familiam Regiam ad hono-

rem

rem & gloriam ſanctiſsimi nominis ſui diu florentem conſeruet: ſit ipſe igneus murus, quo arceantur Zacha: 3. *mala illa omnia, quæ Diabolus humani generis hoſtis infeſtiſsimus, & ſatellites eius, Eccleſiæ, Politiæ & œconomiæ intentant & machinantur aſtutiſsimè: faciatq́ nos organa gratiæ & miſericordiæ ſuæ, à quibus ipſe rectè agnoſcatur, inuocetur & celebretur. Hoc votum noſtrum exaudiat DEVS iuſtus, verax, beneficus, liberrimus, omnipotens & miſericors, propter filium ſuum IESVM CHRISTVM, qui ſedens ad dextram æterni patris Pontifex noſter atq́ Rex ſummus, decerpit ſibi ex aliqua parte humani generis Eccleſiam æternam voce doctrinæ cœleſtis, & Spiritus ſancti virtute, cui cum patre æterno & coæterno filio ſit honor, laus, gloria, maieſtas & benedictio in omnem æternitatem,*

AMEN.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

Auguſtinus de virtutibus Chriſtiani Magiſtratus lib. de Ciui: D. 5. Cap. 24.

FElices eos Imperatores dicimus, ſi iuſtè imperant, ſi inter linguas ſublimiter honorantium, & obſequia nimis humiliter ſalutantium non extolluntur, ſed ſe homines eſſe meminerunt: ſi ſuam poteſtatem ad DEI cultum maximè dilatandum, maieſtati eius famulam faciunt: Si DEVM timent, diligunt, colunt: Si plus amant illud Regnum, vbi non timent habere conſortes: Si tardius vindicant, facilè ignoſcunt: Si eandem vindictam pro neceſſitate regendæ tuendæq; Reipub. non pro ſaturandis inimicitiarum odijs exerunt: Si eandem veniam non ad impunitatem iniquitatis, ſed ad ſpem correctionis indulgent: Si quod aſperè coguntur plerunq; decernere, miſericordiæ lenitate & beneficiorum largitate compenſant: Si luxuria tantò eis eſt caſtigatior quantò poſſet eſſe liberior: Si malunt cupiditatibus prauis, quam quibuslibet gentibus imperare. Et ſi hæc omnia faciunt, non propter ardorem inanis gloriæ, ſed propter charitatem felicitatis æternæ: Si pro ſuis peccatis, humilitatis, & miſerationis, & orationis ſacrificium DEO ſuo vero immolare non negligunt. Tales Chriſtianos Imperatores dicimus eſſe felices: interim ſpe, poſtea re ipſa futuros, cùm id quod expectamus aduenerit.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

EPICEDIA,
EPITAPHIA, THRENI,
& VOTA, AB ALIQVOT BONIS & DOCTIS VIRIS, QVORVM GRATIS ANIMIS MEMORIA BENEFICIORVM ET MERITORVM

eiuſdem FRIDERICI *Regis in Eccleſiam, in Rempub. in exteros, in ſuos, atq; adeô in vniuerſos ſcholaſtici ordinis homines, infixa eſt, obſeruantiæ, & gratitudinis erga Regem optimum teſtificandæ cauſa ſcripta.*



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

EPICEDIVM MERITIS ET MEMORIÆ SERENISSIMI REGIS D. FRIDERICI II. &c. A NICOLAO THEOPHILO DICATUM ET CONSECRATUM.

SI Cælum patria eſt, vt eſt, eorum
Quos mundo pietas amorq́ recti,
Et firma in dominum fides tonantem.
Et virtutis honos & ardor æqui,
Et mens candida fraudis omnis expers,
Et pacis ſtudium vigil togatæ,
Et commendat honeſta fama morum,
Verè ſideream petiuit aulam
Et ſedes adyt beatiorum,
Danorum FRIDERICVS hic ſecundus,
Qui Regum fuit haud Secundus vlli
Fide, iuſtitia, benignitate,
Et rebus quoq́ fortiter patratis
Belli tempore pacis & quietæ:
Qui veræ pietatis atq́ honeſti
Exemplar fuit omnibus colendum
Regis filius optimi parentis,
Qui felix tenuit paterna ſceptra,
Sub quo Dania floruit beata
Per multas, pietatis aula, meſſes,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

Et pacis domus artiumq́ ſedes,
Solæ quæ faciunt beatiores
Mortales & humo leuant ad aſtra.
Ergò flere tuum patrem, maritum,
Et Regem lacrymis ſequi profuſis
Proles Regia, Regis atq; coniux,
Et regni proceres, ſacer Senatus,
Et plebs, deſine: quem locauit ipſe
Et vitæ & necis arbiter ſupremo,
Qui ſtellis micat aureis, Olympo,
Reges inter vbi ſedet verendos,
Ioſiam Ezechiamq́ Ioſaphatq́
Maioresq́ ſuos, auum, patremq́
Et præſens oculis videt tonantem
Autorem pelagi ſoli poliq́
Et Regem dominantium tremendum.
Illuſtres animæ polo receptæ
Gaudete ætheris incolæ beatj:
Vos ô vera manent perennis aulæ
Et quæ gaudia nulla ſecla tollent.
Nos curæ interea premunt dolorq́
Et vexant mala morte triſtiora
Bellum, dira fames, & ægra peſtis.
Sed tu quem metuunt ſiticuloſa
Styx & perpetuæ cauerna noctis
Et Mors triſtis Erynniesq́ diræ

Qui

Qui vitæ dator vnus es beatæ,
Impendentia diluas pericla,
Et præſentia lenias, rogamus.
Nunc longum FRIDERICE ſalue aueq́;
Verè parta tibi eſt beata ſedes,
Et cœlum patria eſt, aue valeq́;.

EPITAPHIVM EIVSDEM
eodem Authore.

HOc tumulo placida ſublatus morte quieſcit
Qui tenuit boreæ Rex duo Regna plagæ:
Quem fortis ſtupuit Cimber, quem Danica pubes,
Et coluit ſtudÿs Norica terra ſuis:
Quem metuit magnus qui circuit omnia Nereus,
Dum natat in medÿs irrequietus aquis:
Quem tremuit tumido cum Trauo corniger Albis,
Et qui vicinos Eidora lambit agros:
Qui domuit dextra bellaces vindice Marſos,
Subdidit & ſceptris effera corda ſuis:
Qui docto rigidum moderatus Apolline Martem
Præbuit Aönÿs hoſpita tecta Deis:
Qui Chriſtum & Chriſti complexus amore miniſtros,
Templa Scholasq́; ſua iuuit amicus ope.
Qui iuſtum cunctis nullo diſcrimine dixit
Quiq́; fuit pacis, bella peroſus, amans:
Mens cœlo capitur, volat inculpata per orbem
Fama per Eoas occiduasq́; plagas.

Aliud

ALIVD.

INuida dum triſti te mergunt fata ſepulchro,
Occulit & terræ te Libitina ſinu:
Inclyta ſemidêûm FRIDERICE propago parentum,
Danica qui iuſta ſceptra tulere manu:
Adſtant ad tumulum Mars, Mors & candida virgo,
Quæ docet ad cœli culmina qua ſit iter.
Mars, meus eſt, inquit: Mors, falleris, eſt meus, inquit:
Saucius en telis concidit ille meis.
His Pietas contra: quid vos contenditis, inquit,
Non veſter, meus eſt, cedite, Rex meus eſt:
Hunc ego cum ſuperis menſæ dignabor honore:
Dixit: & æthereas inuolat vmbra plagas.
Felix qui terris cœlum ſublime relictis
Sic petit & moritur, talibus exequijs:

ALIVD.

QVi populos, ſeptem, vicinaq́;, Regna trionj
Protexit & per annos rexit ter decem:
Danorum decus & FRIDERICVS gloria Regum
Εὐεργέτης βροτοῖσι καὶ μέγας φίλος
Hîc iacet: at pietas & virtus cætera dicent,
Et his tacentibus loquentur poſteri.

Aliud.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

ETEOSTICHON.

PVbLICa trIſtItIa eſt: ò LVge DanICa pVbes:
FLos terræ PrInCeps ReX FreDerICVs obIt.

ALIVD.

ReX obIIt pLaCIDè qVI DanICa ſCeptra foVebat:
LVgeat orba ſVIs patria CLara bonIs.

ALIVD CONTINENS ANNVM
Menſem & diem obitus.

AprILIs qVarto ſoL trIſtIs In æthere LVget
CVr? CaDIt arCtoo ReX FrIDerICVs agro:

Epitaph:

QVi veteres rexit fortiſsima pectora Cimbros,
Et leges Danis iuraq́ ſancta dedit:
Vltima quem ſummum Thyle eſt venerata Monarcham,
Et Regem agnouit Noridos ora ſuum:
Qui patrium nocuis defendit ab hoſtibus orbem,
Et bello Marſos contudit acre genus:
Qui virtutis amans & ſeruantiſsimus æqui
In ſancta coluit ſimplicitate Deum:
Qui pacis cuſtos fuit, & qui templa ſcholasq́:
Fouit inexhauſto munere largus opum:
Hoc ſitus eſt tumulo FRIDERICVS gloria ſtirpis
Oldenburgiacæ, Regibus ortus auis:
Corpus habet tellus, cœleſti ſede triumphat
Spiritus, & nullo gaudia fine capit.

K Votum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

VOTVM PRO CHRISTIANO IIII.
ELECTO DANIÆ ET NORVE: REG: &c.

Dum FRIDERICE cadis morbo Rex fractus acuto
Extinctum luget cum pietate Themis:
Has vitam coluit quia mens tua ſancta per omnem,
Iure tuum fundunt ad tumulum lacrymas.
Iuſtitia & pietas ſunt vincla adamantina regni:
Quæ ſi perrumpas cuncta tyrannis habet.
Impietas ſuperos, homines iuiuria lædit,
Vtraq; tartareos digna ſubire lacus.
Qui donas regnis Reges Rex maxime Regum,
Hosq; iubes ſocios nominis eſſe tuj:
Da creſcat natus ſimilis virtute parentj,
In quo Cimbrorum ſpesq; ſalusq; ſita eſt:
Impleat vt ſancti menſuram nominis, & quem
Voce refert, factis exprimat ipſe ſuis.
Sic cum iuſtitia pietas tentoria figet
Quà latè hanc terram Nereus ambit aquis:
Et bona cuncta dabit ceu pleno copia cornu
Pace domi felix, Dania, Marte foris.
Hæc ego quæ toto ſuſpiria pectore fundo,
Fac rata ſint nutu CHRISTE benigne tuo.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

AD DANIAM.

DAnia te rapidi cingant licet vndiq; fluctus,
Terraq; ſis ſpacio clauſa nec ampla breuj:
Nec tua ramoſo ſe tollant rura metallo:
Es tamen innumeris cœlitus aucta bonis.
Hoſpitium veræ tu præbes relligionj
Et CHRISTVM tecto non renuente capis:
Artibus & doctis ſemper tua porta pateſcit,
Et domus es Clarijs non inamæna Deis.
Pax ambit muros, niueis concordia pennis
Cuſtodit portas, Marte ſilente, tuas.
His ornata bonis præluces omnibus oris,
Quas videt Arctoö celſus in orbe polus.
Sis felix multos & ſalua maneto per annos,
Obruat atq; tuum nulla procella caput:
Vtq; facis, CHRISTVM pura prece cordis honora,
Cedat in illius quod facis omne decus:
Flaua Ceres largis ditabit meßibus agros,
Et multo pontus piſce beatus erit:
In medijs lætæ ſalient Nereides vndis,
Et curuis placidum nauibus æquor erit.
Succedentq; tuo feliciter omnia voto,
Siue petenda ſalo, ſiue petenda ſolo.

NICOL: TH: D. & Profeß:
A. H.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

ELEGIA DE MORTE FRIDERICI II. CLEMENTISSIMI NOSTRI REGIS, AD LVGENTEM DANIAM.

RVrſus, eheu, lachrymoſa dies tibi Dania venit
    Funera lugendi Regis acerba tui:
Regis, iuſticiæ qui te moderatus habenis
    In placida ſtuduit pace fouere diu:
Te, mæſtam tanquam viduam, nunc morte reliquit
    Ille graui, ceſſans exhilarare tuos.
Propterea meritò fluidis tibi lumina guttis
    Aſſiduè, luctu cor ſtimulante, madent.
An non cuiuſuis etiam de funere Regis
    Haud vano populum fama dolore quatit?
Nam Rex, vt ſapiens caput, in rudis agmine plebis
    Dum ſupereſt, amplo ſolus honore nitet:
Solus & eſt oculus quaſi, protectorq; ſuorum,
    Et ſeruat, pulſis, hos, vt ouile, lupis.
Quippe, inconſpicua, velut ex caligine, dextra
    Quæ Deus in cunctis gentibus vnus agit,
Illa palàm florente ſua Rex viſus in ora
    Pro populi fermè cuncta ſalute facit.
Dum leges, rudium ceu doctor, figit honeſtas
    Omnibus ex æquo ciuibus, atq; bono:
Dum tranſgreſſores fixæ quoq; legis, in almæ
    Fida iuſticiæ lance dolere iubet.
Et punit ſontes, neq; fæda piacula cuiquam
    Impunita ſua lentus in vrbe ſinit

At

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

At contra iuſto cuiuis, fidoq́ ſuarum
Cuſtodi legum præmia digna parat:
Et pronè tales extollit honoribus altis,
Deq́ ſuo, ditat fænore munificus.
Totum autem tumido populum defendit ab hoſte,
Siue intus latet hic, ſiue aliunde venit:
Cælitus & miſſo reprimit mucrone feroces,
Ne quem de tenui lædere plebe queant.
Quiq́ parant ciues bello oppugnare quietos,
Hoſtibus opponit fortiter arma ſua:
Pax vt in attritum redeat mox aurea Regnum
Et ſecum afflictis omnia dona ferat.
Sic Rex, in quauis, moderatus, amabile, gente
Solius eſt munus, pulchraq́ imago Dej,
Qui miſeris optanda, loco, mortalibus, eius
Commoda ſuppeditat, damnaq́ multa leuat.
Hinc, vbi mors truculenta rapit peccantibus illum
A populis, an non iure dolere queunt?
Præcipuè viuens animum quando ille paternum
In ſibi commiſſum geſſit vbiq́ gregem?
De noſtro veluti teſtari poſſumus omnes
Rege, quibus rectè cognitus ille fuit:
Quòd magis vſq́ ferè ſuſcepto debita Regno,
Quam ſibi priuatim commoda quæſierit.
Syncerum hunc animum FRIDERICO tota ſecundo,
Dum fuit in viuis, vita ſtetiſſe, probat.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

Illius & ſtudium perquam laudabile monſtrant
Omnia, multiplici quæ dedit, acta, modo.
Noſcere ſi libet hoc, percurrere ſingula fas eſt:
At caput in primis inſpice quæſo rei.
Perpetuam, conſtat, quanta reperire ſalutem
Inſtiterit cura ciuibus ille ſuis,
Quàmq́ laborarit, parcens haud ſumptibus vllis,
Noticia quiſquam ne foret abſq́ DEI,
Neue ſuas pura ſine relligione per oras
Viueret, & verbi luce careret homo.
Propterea in nulla paſtores vrbe fideles,
In nullo voluit rure deeſſe quoq́:
Sed cunctis reſonare locis documenta ſalutis,
Et ſancta audiri nomina CHRISTE tua.
Pluribus hac auxit ſtipendia mente miniſtris,
Et cauit, preco ne foret vllus egens,
Vtpote, paupertas quemquam ne dura fugaret,
Cum damno populi, de ſtatione ſua.
Quomodo ſublatum ſibi talem haud plangere Regem,
Si cui Relligio ſacra probatur, amet?
Curſum Euangelij qui non modò mente quieta
Pertulit, & fugit bella mouere DEO,
Quod plerunq́, patet Reges feciſſe potentes,
Quos dominus iuſta punijt ipſe manu.
Sed magis à ſtudio planè hic alienus iniquo
Promotare vias inſtitit vſq́ DEI.

Nilq́

Nilq; prius voluit, latè quam ſpargier illa,
Quæ potuit, quòd ſint, dogmata, ſcire, pia.
Venturo hinc etiam ſalua vt perſiſteret æuo
Relligio, cuius vixit amore flagrans,
Et teneræ duxit rationem ætatis habendam,
Artibus inſtitui poßet vt illa bonis.
Vnde ſcholis animo paßim pietatis amante
Fundatis vltro largior auxit opes:
Vt ſimul abſq; mora diſcentes, atq; docentes,
Quiſq; ſua, adiuti, munera perficerent.
Inprimis illum patronum Academia ſenſit
Inclyta, quæ muro eſt Hafnia cincta tuo.
Quando benignus ei Rex, & laudabilis heros
Non modo firmauit iura, ſtatuta, bona,
Sed ſimul, exiles iam quando, per aſpera, factas
Eße profeſſorum, tempora, vidit opes,
Non tulit eximius princeps, at protinus altis
Conſenſit ſtudijs demere triſte malum.
Vltroq; mox, toto Regni aſtipulante ſenatu,
Denuo largiri multa paratus erat:
Multaq; largitus, præter data tempore priſco,
Sudoris tandem præmia digna, fuit,
Aëreas ſyluas, cumq; omnibus ampla colonis
Arua, & gramineis prata decora toris.
Hæc animo Rex munifico dedit omnia muſis,
Iugiter vt Regno ſalua Lycæa forent.

Hinc

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

Hinc auditores quoq;, ne ſine fruge doceret
In vacua quiſquam dogmata grata ſchola,
Commotus mira voluit pietate iuuare,
Paupertatis eos ne refugaret onus:
Adiectisq; bonis iam pluribus, vt ſtudioſi
Fortunæ tenuis perfruerentur ijs,
Illorum centum, quibus aduerſatur egeſtas,
(Dum ſimul, ingenium non ſterile eſſe, liquet)
Nutrijt, & ſinglis collegia celſa diebus,
Conſortes menſæ, fecit adire, ſuæ.
Tantum illi ſtudium, tam ſeria cura iuuandi
Semper erat ſacrum relligionis opus.
Nec minor eius erat laus in ciuilibus actis
(Quæ proprium Regum munus habenda putes)
Certè ne repetam, quoſuis vt largus egenos
Hoſpitijs pariter iuuit, & ære dato,
Semper ei, quoſuis Regni perſiſtere ſaluos,
Et florere ſtatus, regia cura fuit.
Vtq; ab eo ſummos meritò percepit honores
Inclyta nobilitas, donaq; prima tulit,
Sic etiam ciues, tenues ſimul, atq; opulentos
Noluit à quoquam triſtia damna pati.
Nec minus abiecti querimonia ſæpe colonj
Mouit eum, miſero ferret vt æquus opem.
Quippe miniſter erat ſanctæ, cultorq; ſeuerus
Iuſticiæ, nec vis dura placebat ej.

Viuere

Viuere tranquilla cunctos in pace volebat:
Iuſticia natæ pacis amator erat.
Pacem illi placuit ſeruare domiq; foriſq;,
Dum per vicinos non violata foret.
Hanc facile idcirco Ditmarſia victa recepit,
Et ſita vicinis oppida quæq; locis.
Hinc ſub eo lætam duxiſti Dania vitam,
Et licuit grata pſallere mente DEVM.
Hinc & vbi dura te nunc, heu, morte reliquit,
Mutatæ ſortis vulnera iure doles.
Iure dolent etiam tecum pietatis amantes,
Quoſcunq; in placida viuere pace iuuat.
Sed, quoniam immiſſam nobis à numine ſortem
Nunc mutare ſuo nemo dolore poteſt,
Lumina conſilio meliore leuemus in altum
Ad Regem Regum, qui ſine morte manet:
Qui Reges donat populis, & qui, ſine Rege,
Fortior ipſe, ſuis, Rex quoq;, adeſſe poteſt.
Hunc, age, mutata, places tibi, Dania, vita,
Iam tandem & veræ ſis pietatis amans.
Noxius à prauo diſcedat pectore fucus:
Luge animi cernens hulcera cæca tui.
Sic Rex æthereus te non modò ab omnibus illis
Proteget, hoc æuo quæ metuenda, malis,
At ſimul indutam cœleſti luce beabit,
Et dabit, æternis vt recreere bonis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

Deniq; te nullo pauidam diſcrimine linquet,
Cum Dominum vero corde ſequere tuum.
Tunc etiam Regis Gnatum, cui ſceptra parata,
Cum vera faciet creſcere laude tibi.
Quod cupido quoq; nos, vt fiat, corde rogamus
Te DEVS, à ſolo quo bona cuncta fluunt.
Tu tenera illius ſancto rege pectora flatu,
Creſcat vt in patriæ gaudia vera ſuæ.

FINIS.

M. Iohannes Saſcerides, Profeſſ:
Academia Haf: facie-
bat.

AD

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

AD TVMVLVM SERENISSIMI REGIS DANIÆ &c. FRIDERICI II.

OCcidit heu Patriæ, nobis Pater. Occidit ingens
Flos veterum, Lumen, Gemmaq; rara Ducum.
Occidit abreptus Rex feſtinantibus Orbi
FRIDERICVS fatis. occidit ante diem.
Heu pietas, heu ſancta fides. Sic magne iacebis
O Rex, ô meritis vſq; canende tuis?
Sicne iaces ô Rex: nec in hæc vel tempora reſtas?
Amplius vt poſſes nunc ſtabilire Domum?
At tu dignus eras Rex illuſtriſsime vita:
Dignus ab hinc ſera qui morerere die.
Poſceret id virtus, diuina in pectore flamma:
Sincerus poſcat vel pietatis amor.
Id bonitas, id vera fides, id conſcia recti
Mens, animus celſus, factaq; clara petant.
Iſta alij illuſtrent, & pleno carmine tollant:
Me pietas Elegos preßa dolore docet.

Marte Togaq; potens tu Rex, & ſtrenuus Heros
Pellere vim ferro, Pace fouere viros.
Dicier at Princeps & pacis Cultor amicæ
Malueras, Pacis nomen & omen habens.
Marte igitur pulſo, quòd bellis maxima ſcires
Damna ſubeſſe feris, pacis amator eras.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

Tu pacti ſeruans, & ſeruantiſsimus æqui:
Nec te aliam quisquam vidit inire viam.

Tu Muſas dulces Nutritor charus amabas,
Eximium Regnis has decus eſse putans.
Doctorum, benè largus opum, tu tempora Lauro
Cingebas, vario munere ſæpè beans.
Sic colere ingenuas artes, & debita honori
Præmia Theſpiadum reddere, cura fuit.
Per loca multa Scholæ, multi id teſtantur alumnj:
Teſtatur quisquis nomen ab arte tulit.

Tu commenta vagæ deteſtans Relligionis,
Conſtantis fidei tutor & auctor eras.
Nullus te abduxit, nec recto tramite mouit:
Tentatæ hîc variæ nil potuere vices.
Iuſsero, ais, noſtris pia ſit Concordia Myſtis,
Qui inſtillant genti dogmata ſacra meæ:
Sitq; procul mater miſeræ Diſcordia cladis.
Quid Regnis veniat nunc Eris acta meis?

Tu velut Auguſtus turbis & Marte fugato,
Ipſe ſuos pacis pace beauit amans:
Triſtia ſic arces quæ paſsim bella mouentur,
Triſtia Doctorum bella referta minis.
Vsq; vetas faciant caſtæ conuicia Muſæ.
Muſas diſcordes non ſinis eſſe tuas.

Noxia

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

Noxia ſcripta vetas: Doctorum iurgia non fers:
Dentatas prohibes cautior vſq; ſchedas.
Nil tibi cum libris, qui non fœlicibus omnes
Auſpicijs volitant. Nil iuuat eſſe nouos.
Hinc tua mota fuit nullis Eccleſia turbis.
Conſilio hoc ſemper tuta quiete fuit.
Hinc pace exultat, prædulciaq; ocia captat
Phœbus, & hinc Phœbi libera turba ſalit.

Ad ſummam, fulges virtutibus inclyte Princeps,
Heſperus vt ſtellas eminet ante alias.
Facta piæ fidei verum teſtantur amorem:
Pro Grege ſuſceptum facta loquuntur onus.
Terris Lumen eras, Regnis tutamen, in ipſum
Translatus cœlum nunc quoq; Lumen eris.

Te ſupereſſe diu, ſeramq; videre dediſſent
Fata vtinam lucem, fata dolenda nimis:
Quàm fortunatos vidiſſet Dania ciues,
Quondam piſcoſo Dania cincta mari.
Aſt aliter Domino viſum eſt: aliter quia factis
Iam nimium multi commeruêre ſuis.

Ergo iaces ô Rex quem non virtutis egentem
Vidimus? Ah Regem mors properata tulit.

Hei mihi tu Columen, tu quantum perdis Aſylum,
Dum Regem perdis Dania clara pium.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

Sic commiſſa luis populi peccantis. Ad iram
Concitus, his pœnis vindicat acta DEVS.
Nam malefacta manu compenſat vindice iuſtus.
Fato ni credas experiere tuo.
Luge igitur multum rapto ſuper ornamento:
Amiſſum luge Dania præſidium.
Dania te lachrymis Arctoaq; terra fatiga:
Diſsita poſt reliquos vltima Thule geme.
Dania te gemitu, funebri & pollue luctu:
Conquerere extinctum Dania mœſta Patrem.
Funereum medias queſtum geminato per vrbes:
Carmen & in quauis fundito triſte domo.
Iungito funeſta viduatas veſte Cateruas:
Pro nitido cultu pulla lacerna tegat.
Multa metu planctuq; labent. Eſt cauſa dolendi
Triſtior hîc tanto, quanto inopina magis.

Vos etiam Muſæ vos planctum explete ſorores:
Edite lugubres Numina mœſta ſonos.
Officio Cineres merito decorate ſupremos:
Ornate ô votis Regia buſta pijs.

Dicite

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

Dicite: FRIDERICI nulla terreſtribus vllis
Re concedentis, molliter oſſa cubent.
FRIDERICI viuat pietas, & munera largæ
Grata manus, & amor pacis, amor populi.
FRIDERICI virtus perduret inobruta virtus.
FRIDERICVS regnis ceu pater vſq; ſuis.
Non vt rupta breuis citò ſunt rata ſtamina vitæ,
Famæ ſic abeant nomina clara piæ.
Fama perennis eat FRIDRICI & gloria. Grati
FRIDERICVM factis, carmine, voce colant.

PRECES VOTIVÆ.

At tu ſumme Pater rerum cui ſumma poteſtas
In mea poſtremùm vota benignus ades.
In te certa ſalus, in te inclinata recumbit
Vnica ſpes, cœtus tu miſerere tui.

Da Pater arceri Regnis & bella cruenta,
Et quæ bellorum ſemina certa forent.
Da creſcat Proles FRIDRICI, Regia proles,
Creſcat quem magnum mittis in imperium.
Regie creſce puer, mœſtæ pia cura Reginæ,
Et procerum & Populi ſollicitudo tui.
Macte animo Princeps, animi te viuida virtus
Intus agens factis luceat ipſa ſuis.
Macte animo Princeps, gratum Patris incrementum,
Creſce fauore DEI, creſce fauore hominum.

Creſcat

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

Creſcas Flos Chriſti, ſancta creſce indole Chriſti:
Vtq; refers Chriſtum nomine Mente refer.
Regie creſce puer, magni cuſtodia regni
Blandis cui ceßit maxima ab auſpicijs.
Hæc Deus ô ſeros maneat ſpes certa nepotes:
Et tuus in populum cuncta ſecundet amor.

M. Petrus Haggæus. Profeß:
A. H.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

NÆNIA

MEMORIÆ ET MERITIS.

SERENISSIMI ET OPTIMI PRINCIPIS DIVI FRIDERICI II. DANORUM REGIS CANTATA.

ERgò fatiſcentem tota compagine mundum
Nos ſolos petere, atq; immani mole ruinas
In noſtrum torquere caput rear? ergò malorum
Turbine, quîs ſimul & tellus & pontus & æther
Æſtuat, ante diem miſeri inuoluemur? an illas
Dij rerum facies tam diras forte, facesq;
Inſolitas ideò mortalibus oſtentarunt?

Certè ego jam ſeptem, quos eſt penes abdita rerum
Fata mouere, Deos, cœli qui nuper in vnam
Conuenere domum, magnæ primordia cladis
Hæc ſtatuiſſe puto: quando tibi Dania Regem
Præripuere tuum, quo non præſtantior alter
Purpureos inter toto fuit orbe monarchas:
Tam crebris atq; infauſtis nos vſq; fatigant
Prodigijs, præbentq; nouis oſtenta figuris.

Nam quid ego memorem ſacras, Iouis ignibus, ædes
Hîc vbi Danorum ſolio nitet Hafnia Regum,
Cœlitus, idq; ipſo brumæ ſub frigore, tactas?
Quid memorem totis conſpectos noctibus ignes,
Flammarumq; globos cœlo cecidiſſe ſereno,
Et flammis falsô viſas inuoluier vrbes?

M Vidi,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

Vidimus inſtructas volitare per æthera turmas,
Colliſiſq; ſonum liquidò percepimus armis.
Et Phœbum nitidos fœdatum ſanguine vultus
Vidimus, atq; atro tinctam liuore Dianam.
Nuper & inſolitis Heclam flagraſſe caminis,
Et totas liquidum jactaſſe per aëra rupes,
Horrendumq; imo, fama eſt, mugîſſe barathro.
Tum maria inſueto tumuerunt gurgite, & imis
Stagna refuſa vadis, poſitas tranſcendere metas
Auſa fuere, nefas, nullis tamen excita ventis.
Scilicet & maria & terræ cœlumq; profundum
Commiſerata tuam, pulcherrima Dania, ſortem
Ingemuere, hujus funeſtæ præſcia lucis,
Qua tuus ille pater cecidit, tua vita, tuumq;
Delicium, decus & columen, tua gloria, quo nîl
Rebus in humanis melius nil majus habebas.
Heu funeſta dies, quam denſo fœta malorum
Agmine, quam miſeros ſubitò ſuper ingruit, & quam
Non expectata deſcendit ab æthere ſorte.
Siccine jam partæ cuſtos fidiſſime pacis,
Pacis quæ tibi tam fauſto dedit omine nomen,
Occidis? aduerſis caput inſuperabile, tène
Febris anhela ſuo potuit ſuperare veneno?
Nonne Seuerinus medica clariſſimus arte,
Qui videt alma ſuo quidquid Natura receſſu
Occulit, Ille renaſcentis ſpes altera lucis,
Nonne ſalutares dextrè tibi miſcuit herbas?
Bal.

Balſamaq; Ambroſiamq; & òdoriferàm Panaceam?
Miſcuit ille quidem ſed nulla, ſedulus, arte,
Nulla ope collapſam potuit reparare ſalutem.
Non etiam Regina, pios Alceſtidis ignes
Experta immites potuit lenire ſorores,
Quamuis ſæpe ſua optarit te morte redemptum.
Non tua ſiue pio remorari funera planctu,
Siue tui deſiderio potuere clientes.
Sed neq; conceptis, quæ te pia patria, votis
Incolumem ſibi, ſæpe Deum obteſtata, popoſcit
Fatorum potuit duras infringere leges.
Heu miſeros: heu me miſerum: Nîl compita luctu,
Nîl totas implere iſtis vlulatibus vrbes,
Nîl iuuat. O vtinam Admeti te fata manerent,
Diſperea m miſerè, ſi non extrema ſubire
Pro te fata velim: quid enim reſpublica damni
Me caperet pereunte? equidem reor omnia eodem
Permanſura ſtatu: paucis lugendus amicis,
Et poſito ſtrepitu, tenui mandarer arenæ.
Sed parcæ immites & inexorabile fatum
Non vnum proſtrauit humi, non mille, ſed vrbes
Totas atq; adeô duo florentiſſima Regna.
Subjecit pedibus, quando hoc de Rege triumphat.
Occidimus ſimul ah miſeri, quando illa ſalutis
Spes cecidit, nobis etiam peryſſe fatendum
Plusquâm dimidium noſtri: cor ille caputq;
Auguſtum fuit Arctöæ dum viueret oræ.

Non

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

Non rex ille quidem ſed, mirûm, regibus ipſis
Numinis inſtar erat, Tam Majeſtate verendus
Tam virtute illuſtris erat, tam robore mentis
Inuictus, tam conſilio ſapiente bonoq́;
Promptus, & aureolæ tàm præſtans munere linguæ,
Vt meritô lapſum fateamur ſidus Olympo
In noſtras veniſſe oras, quod numine pectus
Cœleſti penitus diaq́; expleuerit aura.
Sed fruſtra FRIDERICE tuas, ter maxime laudes
Proſequor inuita, & contrà luctante Minerua.
Nam quid ego, cui nulla fluit niſi turbida riuo
Vena perexiguo, ſtagnantibus excita lymphis,
Vt vix Oceanum Sophiæ ingrediatur, at ipſo
Deficit in curſu tellure abſorpta, Quid inquam
Nomen ego, laudesq́; tuas, rex magne, minutis
Ignibus illuſtrare velim? cum fama per orbem
Iam tua, jamq́; adeô dudum volet inclyta magnum.
Non ſi carminibus diuinum æquare Maronem
Quis poſſet, FRIDERICE tuis par laudibus eſſet
Dicendis: Sat erit nobis, ſi manibus iſtam
Diue tuis vrnam lachrymarum ritè ſacremus.
At verô te magne Heros, ô debite cælis
Indiges, exemptum terris quis fleret? at iſto
Tempore te regnis quis non defleret ademptum?
Quin te certa manet requies, ſanctiſſime, campis
Elyſijs, ibi namq́; Deos & amæna piorum

Conci-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

Concilia æternũm colis, & te neſcia fati
Vita habet Ambroſio ſemper ſaturanda liquore.
Sed nos intereâ lethea veſcimur auræ,
Atq; ipſam totis impreſſam ſenſibus ægri
Circumgeſtamus mortem: Nil tædia præter
Nil præter duros hæc mortua vita labores
Suppeditat: furiæ immanes, & dira libido,
Et nox alta tenent jam terras ſceptra per omnes.
Hinc ea colluuies, atq; horum Lærna malorum
Quîs miſeri miſerè torquemur, ſemina traxit.
Tu tamen hiſce malis, ô Rex inuicte fuiſſes
Auerruncator, ſortem ſi fata beatam
Non inuidiſſent noſtris ſæuiſſima terris.
Iam ſibi relligio, jamq; & pax aureà, & ipſæ
Pierides metuunt, & pulla veſte dolorem
Teſtantur, ſacræq; aſſiſtunt jugiter vrnæ,
Seq; inter tenui ingeminant has murmure voces,
Ioua DEVS, quid te miſeras pater optime tantis
Et tam continuis juuat exercere periclis?
Ergo Lycaoniam extorres migrare ſub arcton
Iuſſiſti pater, vt ſubitò nos ſedibus iſtis
Exigeres? quid enim ſalui ſperabimus otî,
Vel pacis, ſanctum quando hoc caput occidit? & quæ
Defeſſis dabitur requies? quæ meta laborum.?
Talibus illæ equidem lugent ſua damna querelis,
Buſtaq; perpetuo lachrymarum flumine tingunt.

Quis dabit hiſce etiam lachrymarum flumen ocellis?
Quis dabit vt te Diue fleam FRIDERICE? quis inquam
Mî dabit vt poßim lachrymis explere dolorem?
Totus vt in lachrymas ſoluar, vel deniq; totus
Fons fiam, laticesq; mihi det Terra perennes,
Haud mihi, credo, ſatis faciam tua funera flendo,
Vel potius lamentando mea damna, mææq;
Felicis quondam patriæ, miſerabile fatum.
Saltem cûm meminiße tui FRIDERICE, tuiq;
Dania, & Aönides veſtri datur, vſq; ſubortis
Immorer immoriarq; nouis ſingultibus æger.
Tu quoq; tu magnis Patria exercenda procellis,
Tolle nouos, tolle ingentes ad ſidera planctus,
Fac denſas penetrent nubes, atq; æthera magnum,
Donec placatas Iouæ illabantur in aures.
Sed finem lachrymis faciam: Tu Ioua catenam
Soluito, quam noſtris connectunt fata periclis:
Soluere nam ſolus, ſoloq; adamantina nutu
Vincla potes, mundiq; ratas infringere leges.
An tibi pœnarum ſatis exſoluiße videmur
Sancte Deus, nî Danorum radicitus omnem
Extirpes, etiam deleto nomine, gentem.
Ah tibi ſi viduata viro vel fœmina curæ eſt,
Si pupillorum pater aßeruiße ſalutem
Vindicijs dignare tuis, tibi Dania curæ
Ioua ſiet, viduata ſuo iam mœſta marito:

Nos

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

Nos etiam viduæ mœſtiſsima pignora matris
Nos adeo totos, & rerum quidquid vbiq; eſt
Noſtrarum, tibi tutori iam dedimus vnj:
Tu regem puerum ſtudio tueare paterno,
Vt tandem virtute ſua maturus & annis
Sceptra manu patrij capiat ſibi debita Regnj,
Tum verò regni proceres, ſanctumq; Senatum,
Sancte pater, tua defendat Sapientia, & ipſis
Inſpiret verum veræ pietatis amorem.
Vnanimes paci ſtudeant, at ſeditioni
Et bello bellum indicant, & publica regnj
Priuatis nolint poſtponere commoda rebus,
Te duce ſic tandem diuturna pace fruemur.

Regi laudatiſsimo & optimo Frid: II. de ſe optimè merito
lachrymans fundebat Ionas Iacobus Paſtor Haſ:
ad D. Spiritum.

Errata ſic corrigenda.

Pag: 1. verſa pro Querite, lege Quærite. Pag: B. 4. verſa, v: 18. pro quidem legendum profecto. Pag: D. 1. v: 14. vſq; addendum, ad. Pag: D. 2. v: 3. pro cuius lege quarum. Pag: D. 3. in margine pro coniugia lege coniugium. Pag; D. 4. v: 1. quod tamen, addendum, fit. Pag: G. 2. v: 16. more, addendum, inſtitutoq;. G. 3. v: 2. cum addendum vt.

HAFNIÆ,
Impreſsit Laurentius Benedictus.
Cum Gratia & Priuilegio Sereniſsimæ Regiæ Maieſtatis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1044 4° copy 1